DE NANCEIDE

PETRI DE BLARO RIVO

PARISIENSIS



Phototypie J. Royer, Nancy.

CAROLI CLADES

MINUTA PICTURA EX NANCEIDIS CODICE EXPRESSA.

DE NANCEIDE

PETRI DE BLARO RIVO

PARISIENSIS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

A. COLLIGNON

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

NANCEII

EX TYPIS BERGER-LEVRAULT ET SODALIUM

MDCCCXCII

Hos versus in prima libelli fronte præponere mihi liceat :

Epitaphium Renati, Siciliæ Regis et Hierosolymæ, Lotharingiæ et Barri Ducis, a Camperio (*Symphorien Champier*) compositum (*Chron. des hist. du Roy. d'Austrasie*).

Icy dessoubs gist des Lorrains la gloire :
Le feu bon roy le meilleur des vivans,
Duquel nul temps n'estaindra la mémoire,
Tant a esté en haults faitz florissans.
. . . .
Devant Morat il deffit le duc Charles,
Duc de Bourgoigne, treshardy champion,
Et non content, depuis à force d'armes,
Devant Nancy dompta le fier lyon.

INDEX BIBLIOGRAPHICUS

NANCEIDIS CODEX

EDITIONES ET GALLICÆ TRANSLATIONES

CODEX. — Unus exstat *Nanceidis* codex qui asservatur in Bibliotheca Societatis dictæ : « *Société d'archéologie lorraine* ». Breviter hic describetur :

N° 49. Petri de Blarrorivo Parhisiensis, poete prestantissimi *Nanceidos* libri VI.

Fol. A, v°. « Joannis Basini Sandacurii..... epistola. » — Fol. I. « J. Basini..... in magnificas historie *Nanceidos* laudes ». — Fol. 2, v°. « Desiderii Boussardi Novavillacensis..... responsalis epistola ». — Fol. 4. « Autoris endecasillabum ». — Fol. 5. « Autoris in sue *Nanceidos* hystoriam epithoma ». — Fol. 7, v°. « Autoris distichon..... » — Fol. 8, v°. Titulus: « liber primus ». — Fol. 138. « J. Basini.... in sex *Nanceidos* libros argumenta ». — Fol. 140, v°. Epigrammata, cum subscriptione : « *Drap brûlé* », quo nomine per ἀναγραμματισμόν *P. de Blarru* significatur.

XVI sæculi. — Chartaceus codex, duobus exceptis foliis quæ membranea sunt, centum quatuor et quadraginta folia continet. Multæ insunt annotationes. Auratæ et coloratæ primæ cujusque libri litteræ. Duabus minutis picturis ornatus est codex, quarum prior, fol. 8, r°, Caroli cladem ad Nanceium; posterior, fol. 8, v°, Lotharingiæ ducem Renatum equæ insidentem effingunt. Operculum ligneum rubricata et signis impressa membrana vestitum cum offendicibus.

(Ex libris Josephi Guillemin mercatoris S. Nicolai a Portu Lothar., 1531. — De Nicéville; De Landres[1].)

1. Cf. Favier, *Catalogue des Manuscrits de la Société d'archéologie.*

Non videtur hic codex ipsius Petri de Blaro Rivo manu exaratus, sed verisimile est eo Joannem Basinum usum esse ad præparandam *Nanceidis* editionem (MDXVIII). Quanquam alium codicem ad edendum poema secutus est, quod dissimiles quidam loci testantur [1].

EDITIONES. — Primum typis mandata est *Nanceis,* anno MDXVIII, sub hoc titulo :

Petri de Blarrorivo Parhisiani insigne Nanceidos opus de bello Nanceiano hac primum exaratura elimatissime nuperrime in lucem emissum....

In fine hoc legitur : « Finit feliciter Egregium ac insigne *Nanceidos* opus Petri de Blarrorivo Parhisiani de bello Nanceiano. Impressum in celebri Lothoringie pago divi Nicolai de portu per Petrũ Jacobi pbrm̃ loci paganũ. Anno Christiæ Incarnatiōis MDXVIII. Nonas Januār. quo die ipsm̃ quoque bellũ Nanceianũ pactũ est año eiusdem Incarnationis MCCCCLXXVI. »

In hoc sæculo tantum *Nanceis* iterum edita est :

La Nancéide ou la Guerre de Nancy, poème latin de Pierre de Blarru avec la traduction française, augmentée de l'exposé du système de ponctuation et d'abréviations suivi au moyen âge, d'un examen philosophique, de poésies, de documents historiques et de plusieurs gravures, par M. Ferdinand Schütz. — Nancy, Grimblot, Raybois et Cie, 1840. 2 vol. in-8°.

GALLICÆ TRANSLATIONES. — In extremis sexti decimi sæculi annis, gallicis versibus *Nanceidem* vertit Nicolaus *Romain,* doctor in utroque jure, præpositus et silvarum tutelæ præfectus (*gruyer*) Mussiponti. Cujus translationis ineditus codex exstat Lutetiæ in Bibliotheca Sanctæ Genovefæ.

Y, fol. fr. 3, Papier. 177 ff. XVIe siècle. Rel. parchemin, *La Nanciade,* tournée du latin de Pierre de Blaru, parisien, prestre, en son vivant chanoine de Saint-Dié, par noble N. Romain, docteur ez droictz, conseiller de Monseigneur de Vauldemont, capitaine prévost et gruyer de Pont-à-Mousson, sur la guerre de Nancy. A tres hault et tres illustre prince Monseigneur de Vauldemont, François de Lorraine, marquis de Haultonchasteau, comte de Vauldemont, de Salin et Chalegny, baron de Viviès, Rupt, etc.

Sic incipit :

« Je chante ici la guerriere tempeste »

---

1. Cf. J. Rouyer, *De Pierre de Blarru et de son poème.* (*Mém. de la Soc. d'archéol. lorr.,* 1876, p. 407.)

et sic explicit :

« Le temps glouton ses enfans après mange. » (*Nanc.*, VI, v. 1222)

Ejusdem translationis codex asservatur in Bibliotheca dicta : *de l'Arsenal. Catalogue des manuscrits de la Bibliothèque de l'Arsenal.* Tome III, p. 225, n° 3108. La *Nanciade,* tournée du latin, etc.

Unus posterioris libri translati codex, suppresso auctoris nomine, exstat in Bibliotheca Societatis dictæ : *Société d'archéologie lorraine....,* n° 50. « Libvre second de la *Nanceiade.* »

Pag. 1 : « L'Helvétien peuple vaillant et fort.... »
Pag. 85 : « En oultre, l'or défalloit, et sa teste
Sentoit desja l'hivernale tempeste. »

Subter :

« *Fin du second livre de la Nancyade.* »

XVI sæculi. — Chartaceus codex 86 paginarum. Additæ sunt delineatæ imagines, ex impresso libro anni MDXVIII descriptæ. Fol. A. « *La ville de Moratte assiégée par Charles de Bourgongne* ». Page 10. « *La bataille de Moratte* ». Page 26. « *La cruelle deffaicte des Bourguignons* ». Page 42. « *La ville de Nancy assiégée* ». Page 74 « *L'entrée du duc René en sa ville de Nancy* ». Operculum membraneum [1].

Contenderunt scriptores *Bibliothecæ Historicæ Franciæ* hanc translationem typis mandatam esse. Quem librum frustra se quæsiisse *D. Calmet* profitetur [2], nec felicior nostra diligentia fuit.

1. Cf. J. Favier, *op. cit.*
2. *Histoire de Lorraine,* t. I, éd. de 1745. *Catalogue alphabétique des écrivains de Lorraine,* col. 83.

SCRIPTORES

QUI

ANTE XIX^{um} SÆCULUM

DE PETRO DE BLARO RIVO

MEMORAVERUNT

In editione anni MDCXVIII :

JOANNES BASINUS Sandacurius, *passim.*

DESIDERIUS BOUSSARDUS NOVAVILLACENSIS. — « *Ad Johannem Basinum Sandacurium responsoria epistola* ».

Id. — « *De Nanceide elegi* ».

MATHIAS RINGMANN (Philesius). — Epitaphium Petri de Blaro Rivo.

LAURENTIUS PILLADIUS, Deodatensis canonicus. — Alterum Petri epitaphium.

MEIERUS — (*Annalium Flandriæ*, lib. 17; Antverpiæ, 1561, apud Joannem Steelsium), p. 371, Wilhelmo cuidam Parisiensi *Nanceidem* tribuit. « Eo de supplicio Syfronii poetaster ille Parisiacus hunc loquitur in modum :

Pasce tuos, princeps, nunc, crudelissime, pasce, sq.

Hæc ille sed poetice, siquidem Carolus supplicio illius non interfuit nec spectator esse cupiit. »

Ibid., p. 370. Sedecim *Nanceidis* versus relati sunt.

NIC. ABRAM, S. J. (Historia Universitatis et Collegii Mussipontani, ab institutione ad annum 1650), l. 1, art. 53, vocat Petrum de Blaro Rivo poetam non pessimum.

Codex XVII^{mi} sæculi asservatur in Bibliotheca Societatis dictæ : *Société d'archéologie lorraine*, inscriptus : *Traité des armoiries et devises des ducs de Lorraine*, incerti auctoris ; ibi aliquot versus *Nanceidis* laudantur (p. 19).

Casimirus Oudinus. — *Commentarius de scriptoribus ecclesiæ antiquis.* — Lipsiæ, 1722, t. III, p. 2674. « Petrus de Blarrorivo Parisiensis scripsit poema non ignobile Nanceiden inscriptum. »

P. Hugo. — *Sacræ antiquitatis monumenta historica, dogmatica, diplomatica.* Stivagii, litteris Joannis Martini Heller, 1725.

Præf. : « Petrus de Blarro Rivo, gallice *de Blarru*. . . . ., anno 1518, Renati II Lotharingiæ Ducis bellica facinora heroicasque virtutes heroico cantavit carmine in sex libris sub nomine *Nanceidos* evulgatis. Historicæ veritati nihil detraxit artis poeticæ indulgentior libertas nec veritas quidquam imminuit de leporibus poesos. Carolum audacem, Ducem Burgundiæ, opibus, potentia, victoriis insolentem sic pingit, et per omnes audendi tentandive ardua deducit cuniculos, sic Renatum in ambitiosi Principis conatus temerarios assurgentem, resistentem, triumphantem denique, repræsentat, ut bellantium artes, pugnantium virtutem, vincentis modestiam velut oculis subjectas contempleris. »

J. A. Fabricius. — *Bibliotheca mediæ et infimæ latinitatis* (1734-1736), I, 247. « Falluntur hi qui hanc *Nanceidem* Guillelmo Parisiensi tribuunt vel excusam aiunt anno 1476. Vide *Oudinum,* t. III, p. 2674, et *Gruteri delicias poetarum Gallorum,* t. I, p. 545, VI, 324. »

Dom Calmet. — *Catalogue alphabétique des écrivains de Lorraine. Histoire de Lorraine,* éd. de 1745, t. I, col. 83. (Nancy, Leseure.)

Id. — *Bibliothèque lorraine,* t. IV de l'*Histoire de Lorraine* (1751, *ibid.*), col. 126.

Chevrier. — *Histoire de Lorraine,* 1758, t. VIII, p. 30 sq. : « Quelque faible que soit le poème de la *Nancéide,* j'ose dire qu'il passera à l'immortalité ; 250 années semblent garantir ce témoignage. Mais Blarru devra cet honneur bien moins à son génie qu'aux noms des héros fameux qu'il a chantés et qu'à l'événement mémorable qui forme le sujet de son poème. »

Moréri. — *Dictionnaire,* éd. de 1759, revue par *Drouet.*

Bexon. — *Histoire de Lorraine.* Nancy, 1777, p. 227 sq.

Grandidier. — *Notice sur Pairis.* Vues pittoresques de l'Alsace, dessinées par Walter. Strasbourg, 1785, p. 15.

XIX^{mi} SÆCULI OPERA

IN QUIBUS

DE PETRI DE BLARO RIVO VITA

ET

DE NANCEIDE DISSERTUM EST

COSTER. — *Bataille de Nancy.* (Précis analytique des travaux de la Société des sciences, lettres et arts de Nancy; 1806, p. 25.)

MICHEL. — *Biographie des hommes marquans de l'ancienne province de Lorraine.* Nancy, 1829, p. 50.

SCHÜTZ. — Préface de la traduction de la *Nancéide.* 1840.

BEAUPRÉ. — *Recherches sur les commencements et les progrès de l'imprimerie en Lorraine jusqu'à la fin du XVIIIe siècle.* Saint-Nicolas-du-Port, P. Trenel, 1845, p. 38 sq.

Id. — *Nouvelles Recherches de bibliographie lorraine.* Nancy, Grimblot, 1856, p. 14 sq.

J. ROUYER. — *De Pierre de Blarru et de son poème* la Nancéide, *à propos d'un manuscrit de cette œuvre appartenant au Musée historique lorrain.* (Mémoires de la Société d'archéologie lorraine, ann. 1876, p. 360 sq.)

Id. — *Nouvelles Recherches biographiques sur Pierre de Blarru.* (*Ibid.*, ann. 1883, p. 213 sq.)

Id. — *Le Testament de Pierre de Blarru, Parisien, auteur de la* Nancéide. (*Ibid.*, ann. 1888.)

CORRIGENDA

P. 6, l. 6, *pro :* magister ex artibus, *lege :* magister in artibus.
P. 16, n. 6, *pro :* de Blarro rivo, *lege :* de Blaro rivo.
P. 23, l. 6, *pro :* apud Marignanum, *lege :* apud Marignano.
P. 25, l. 17, *pro :* Capellanum, *lege :* Capelanum.
P. 30, l. 17, *pro :* nactus, *lege :* nacti.
P. 57, l. 22, *pro :* definiti, *lege :* definita.
P. 84, l. 24, *pro :* L. VI, 706 : His lectum, *lege :* L. VI, 706, Hic lectum.
P. 89, l. 31, *pro :* protulit, *lege :* profert.
P. 93, l. 17, *pro :* Quas autem mendas, *lege :* Quas vero mendas.
P. 94, l. 1, *pro :* Quamvis salebrosos, *lege :* Licet salebrosos.
P. 96, l. 24, *pro :* agressus, *lege :* aggressus.
P. 104, l. 9, *pro :* quamvis unum jam sæculum, *lege :* cum unum jam sæculum.
P. 107, l. 19, *pro :* morte comparatum, *lege :* morte poematis comparatum.

DE NANCEIDE

PETRI DE BLARO RIVO PARISIENSIS

PROŒMIUM

Nemo est quem prætereat, vergente jam quindecimo post C. N. sæculo, circa Nanceii mœnia magni momenti victoriam illam a Renato II relatam esse, qua in æternum contusa et fracta est exsultantis Burgundorum ducis audacia. Hinc servata ab instanti periculo Lotharingia, confirmata Franciæ regis et aucta potentia, Austria metu liberata; hinc quoque clarissimum sibi decus Renatus circumdedit, cum civilibus tum bellicis virtutibus præstans, intra brevissimum tempus attrita ingenti et regia Burgundiæ domo, quæ in summum fastigium emersura videbatur. Egregia vero hæc et insperata victoria quomodo a Lotharingis celebrata fuerit, et quibus seu artium seu litterarum monumentis memoriæ mandata, nonnullis inter doctos inquirere placuit. Quæ jure pauciora et leviora, pro rei magnitudine et pondere existimata sunt[1]. Excipi tamen par est hoc « insigne « *Nanceidos* opus », ut æqualium verba usurpem, a Petro de

1. « La poésie et l'éloquence semblaient devoir puiser dans le contraste « d'une telle fortune et d'une telle misère quelque haute et noble inspira- « tion, quelque chose d'analogue à ce qu'éveillera plus tard, chez nous, la « chute de Napoléon Ier. Il n'en fut rien. » (Lenient, *La Poésie patriotique en France,* p. 449. Hachette, 1891.)

Blaro Rivo compositum. Hoc autem poema, auspice Renato inchoatum et longa temporis mora perpolitum ut dignum ducis laude evaderet, parum extra Lotharingiæ fines innotuit, et, utpote latine scriptum, brevi neglectum est. Quanquam in hoc sæculo rursus editum et gallice translatum fuit, a rerum conditoribus fere tantum lectum esse videtur, cum non pauca auctoritatem habentia historiæ conferat. Quæ sint autem *Nanceidis* virtutes vel vitia, et quem locum inter quindecimi sæculi poetas obtinere Petrum de Blaro Rivo æquum sit, non satis, mea quidem sententia, exploratum et pensitatum est. In hoc igitur libello propositum habeo summatim de ipso Blaro Rivo et de ejus poematis materia præfari, dein fusius explicare quale fuerit *Nanceidis* consilium, quæ facta amplificaverit poeta, quæ contra prætermiserit, quæ excogitaverit deorum ministeria, et quomodo inventa disposuerit. Operæ quoque pretium erit inspicere, quatenus, paulo ante eam qua renasci litteræ debebant ætatem, Petrus de Blaro Rivo latinos scriptores notos habuerit et imitatione prosecutus sit, quid præterea hujus temporis vel ipsius poetæ indolem redoleat. Postquam de elocutione et de arte metrica disputatum erit, judicium de toto opere facere et *Nanceidem* cum ceteris de eodem argumento scriptis comparare conveniet. Denique quæ fuerit hujus poematis fortuna, quos æmulos habuerit Petrus breviter disseram. Hæc, pro mea facultate, exsequi et perpendere aggredior.

CAPUT I

PETRI DE BLARO RIVO VITA. — NANCEIDIS EDITIO.

De vita Petri de Blaro Rivo (gallice : *de Blarru*), non multa indicia supersunt, quæ accuratissime collegit J. Rouyer (*op. cit.*). Ne in rerum tenuitatem descendam, ea tantum quæ certa aut probabilia sunt paucis complectar.

Tertia Aprilis die anni MCCCCXXXVII Petrum natum esse docet nos Joannes Basinus, ejus amicus, hoc (si mihi græcis latinisque auribus inauditum verbum proferre liceat) *chronogrammate :*

NatVs in aprILI LVX terCIa CVM fVIt ILLI.

Quæ vero natalis urbs sibi fuerit pluribus locis noster commemorat. Primum duabus *Nanceidis* parastichidibus se Parisiensem fuisse testatur, quarum una in epitoma legitur quæ poematis prælocutio est. Si enim in exordio primam cujusque verbi litteram excipias, habebis : *Autoris nomen Petrus de Blaro Rivo Parisianus*. Altera parastichis deprehenditur in primis litteris septemdecim versuum quibus *Nanceis* clauditur : *Petrus Parisiensis*. Se Parisiensem quoque in testamento suo profitetur : « Je Pierre de Blarru, natif de Paris », et eodem nomine a Joanne Basino in fine poematis appellatur : « Finit feliciter « egregium ac insigne *Nanceidos* opus Petri de Blarorivo Pa- « rhisiani de bello Nanceiano..... »

Multi tamen, D. Calmet secuti (t. I, éd. 1751, *Histoire de Lorraine*. Catalogue des écrivains lorrains), contenderunt non hic Lutetiam intellegi oportere sed vicum Pâris, Peris, vel

Pairis dictum, in Alsatico Vosago situm[1]. Jam inveteraverat traditus per manus error, cum J. Rouyer probabilissimis argumentis manifestum fecit Lutetiæ civem Petrum fuisse. Non enim ille se Lotharingum sed Francum prædicat, et germanicæ linguæ prorsus ignarum :

Nanc., VI, v. 418 et 419 :

.... Quarum (*urbium*) et germanica Francum[2]
Nomina me fugiunt..... ;

ubi hæc annotavit Joannes Basinus (ed. 1518) : « Francum, id « est de Francia natum », et in *Nanceidis* codice : « Me Fran« cum, hisce vocabulis francum genere protestatur autor (puta) « qui ex urbe Parisia originem contraxerit, ut in sequentibus « manifestius idem autor aperuit »; rursus ad ultimos *Nanceidis* versus (*acrosticha*) : « Cognomento..... adjecto super hæc *urbis* « *inclitissimæ* vocabulo, qua se cujatem civemve tam veraciter « quam occulte quærentibus designaret. »

Nonne Lutetiam noster amplis laudibus extollit in quinto *Nanceidis* libro, cum ita loquentem Burgundiæ ducem inducit :

V. 548 sq. .... Lutetia prisci
Nominis urbs ingens : arx gentis et inclyta Francæ.
554. Et qua Sequaneis sese Matrona profundus
Miscet aquis, campo metatus castra patenti,
Parisium obsedi, quæ trans hanc gloria ? murum.
580. .... Urbem dicamus an orbem
Parisiæ immensum gentis mare ?......

Lutetiam quoque Helicona Sophiæ (v. 576) appellat et huc sancta cum Pallade Athenas translatas esse contendit.

Jure igitur asseverari potest Lutetiæ Petrum et natum et educatum esse. Est in generalitate Parisiensi fundus *de Blarru* aut

---

1. Cisterciensis ordinis abbatia, ex Basilensi diœcesi, quatuor leucis a S[to] Deodato distans. In proximo viculus est dictus : *Blancrupt* aut *Blarru*.

2. Notandum tamen est Gallica lingua semper usos esse incolas vici « Pairis » dicti. Quo minus a nobis facit hoc argumentum. Sed alia sunt majoris ponderis.

Blaru dictus [1] et juxta vicus, ex quo verisimile est originem et nomen duxisse Parisiacam gentem unde ortus est noster [2]. Non ideo eum nobili genere fuisse concludi potest, cum constet plurimos de plebe sibi vici nomen in quo nati erant assumpsisse.

Postquam in Universitate Parisiensi theologiæ præsertim et juri studuit Petrus, presbyter factus est et in canonico jure sive decreto licenciati gradum impetravit. Quanquam in utroque jure eum versatum fuisse et forsan licenciatum conjicere licet ex hoc epitaphii versu quod Philesius (*Mathias Ringmann*) scripsit :

Nota tibi duplicis fuerant enigmata juris.

Certe *Nanceidem* evolventi apparet non pauca vocabula a jurisperitorum libris Petrum mutuatum esse. Litterarum quoque latinarum eum se non incuriosum præstitisse et veteribus historicis poetisque impensam operam dedisse ex eodem poemate facile suspiceris, quod saltem emendata et satis pura oratione commendatur.

Injudicatum linquo utrum nostrum necne designaverit Franciscus Villo in his *Minoris Testamenti* versiculis [3] :

« Item je laisse à Sainct-Amant
Le Cheval Blanc avec la Mulle,
Et à Blarru, mon dyamant
Et l'Asne rayé qui reculle. »

Qua de re sententiam non semel mutavit vir doctissimus *Aug. Longnon,* qui prius hic *Petrum Blaru* quemdam Villonis condiscipulum indicari arbitratus erat [4]. Posterius ei potius vi-

1. Canton de Bonnières (Seine-et-Oise). *Blasrutum aut Blarutum.* Cf. Bertrandy-Lacabane, *Les Seigneurs et le marquisat de Blarru.* Versailles, 1880.
2. Ejusdem gentis forsitan Petrus fuit quam Blarru ille inter jurisconsultos memoratus a Carolo sexto congregatos : « Le roi désigna un certain nombre « de commissaires qui devaient entreprendre le grand travail de réformation « demandé par les États. C'étaient..... les sires d'Offemont, de Moy et de « Blaru. » (A. Coville, *L'Ordonnance Cabochienne,* 26-27 mai 1413. A. Picard, 1891.)
3. F. Villon, XII, p. 7, ed. Longnon.
4. *François Villon et ses légataires :* « Les Testaments contiennent aussi « les noms de quelques-uns des pauvres écoliers que Villon avait rencontrés « dans sa jeunesse..... Martin Bellefaye, Blarru, G. Charruau, Th. Tricot « et R. Valée..... Blaru pourrait être le même que Pierre Blaru, de Paris, « écolier boursier, qui obtint la maîtrise vers le mois de février 1455 (v. style). » *Romania,* vol. 2, p. 231.

sum est in hoc *Blarru,* Joannem *de Blaru* aurifabrum agnoscere, cui verisimilius esset gemmam legatam esse[1]. Denique, *J. Rouyer* secutus, haud procul abest quin credat Villonis heredem et *Nanceidis* conditorem unum atque eumdem virum fuisse[2]. Hanc enim opinionem sedulo tuitus est *J. Rouyer,* quamvis, si ei accedamus, hoc contra dici possit necesse fuisse ut magister ex artibus *Blaru* cooptaretur vix undevicesimum annum natus, cum ex Universitatis institutis tantum unum et viginti annos natis hic titulus concederetur. Fieri quidem potuit ut unus et alter annus Petro de Blaro Rivo remitteretur, propter eximiam ejus diligentiam et præcox ingenium.

Quod ad me attinet, libenter crediderim Villonem et Petrum quodam sodalitii vinculo in his primis discentium annis junctos fuisse, quanquam mox vitæ iter maxime diversum ingressuros, cum hic insignis nebulo, ille pius canonicus evasuri essent, hinc jam in hoc uno consociandi quod ambo Musas, sed non æque prospero eventu, coluerunt.

Nihil de Petri de Blaro Rivo vita usque ad annum MCCCC-LXXV compertum habemus. Licet autem credere eum omne hoc tempus Lutetiæ egisse et magna ex parte in perficiendis studiis insumpsisse. Conjectura ducor ad supiscandum jam tum illi aliquid consuetudinis intercessisse cum Roberto Gaguino qui jus canonicum Lutetiæ docebat, posterius Renati II partes in Italia, Carolo VIII regnante, defensurus. Ille quoque cum musis rationem habuit[3]. Quem, cum in anno MDII vita defunctus sit, haud incredibile mihi videtur quosdam *Nanceidis* libros

---

1. *Étude biographique sur François Villon,* p. 121. Paris, 1877.
2. Œuvres complètes de François Villon. (Lemerre, 1892). *Index,* in vocabulo *Blarru,* p. 284. « Ce personnage, dont Villon ne mentionne pas le pré- « nom, n'est peut-être pas différent de *Pierre Blarru* (ou mieux *de Blarru*), « de Paris, écolier en l'Université de cette ville, qui obtint la maîtrise ès « arts, vers le mois de février 1456 (Biblioth. de l'Université, reg. des procu- « reurs de la nation de France, f° 216, v°) et qui, connu des bibliographes « en raison de son poème .... la *Nancéide,* mourut à Saint-Dié le 23 no- « vembre 1505. »
3. Robertus Gaguinus Reuchlini magister fuit et epistularum carminumque commercium habuit cum Jacobo Vimphelingio (*Wimpheling*). [Cf. Ch. Schmidt, *Histoire littéraire de l'Alsace à la fin du* XVe *et au commencement du* XVIe *siècle,* t. I, p. 17 sq. 1879.] Idem Nanceium certe invisit, unde quosdam versus ad amicos misit.

legisse, si recte hos Joannis Basini elegos interpretor in editione anni MDXVIII impressos :

> Cum Camenarum tuba vir Gaguinus
> Rite scriptorem hunc hedera coronet [1].

Verisimile est Renatum, eo tempore cum Ludovicum XI Galliæ regem bis conveniebat (MCCCCLXXV), ut auxilia ab eo instantius flagitaret, cum Petro, nescio quo colloquium conciliante, congressum, eum sibi benevolentia devinxisse et in Lotharingiam secum abduxisse ut doctum virum et in juris disciplina imprimis eruditum.

Noster ipse refert se Spinali fuisse Octobri mense anni MCCCCLXXV, cum illud oppidum a Carolo, Burgundorum duce, obsessum et undevicesima Octobris die in deditionem receptum fuit :

Nanc., I, v. 553 sq. :

> Dura sed urbs rigidæque gerens pungentia spinæ
> Nomina Spinalum sua ter tribus ecce diebus
> Menia defendit, quæ tandem prodita (*quantum*
> *Credideram præsens*) admisso paruit hosti.

Alias nos monet se Caroli ducis exsequiis Nanceii interfuisse :

Nanc., I, 13, 14 : Reddita tum cæso peregrini jura sepulchri
Visa canam.

---

1. Si saltem concedatur J. Basini versus ante Gaguini mortem scriptos esse, cum constet jam tum *Nanceidem* compositam fuisse.

Nisi forte hic tantum intelligendum est Gaguini nomen ut præstantis magistri et Aristarchi cujusdam in arte metrica. Ea enim erat Gaguini laus, quod testantur elegi qui in ejus ***Libris de arte versificandi*** leguntur (***Lodoici Xantoniensis*** (de Saintes), ***episcopi epigramma in Roberti Gaguini ordinis sanctæ Trinitatis et Captivorum generalis præcepta***).

> Qui numeris certis tentas constare poeta,
> Et vario musas vis celebrare pede,
> Gaguini præcepta tene, quibus Orpheus usus
> Concinuit suavi Pindarus atque lyra,
> Bis Maro tum heroas, bis Pergama cantat Homerus,
> Carmine lascivo quæque Thalia canit.
> Jam schola parisia Roberti dogma legunto,
> Carminibus vivat tempus ut omne tuis.

Anno MCCCCLXXVII fit Petrus ab epistulis et consiliarius Lotharingiæ ducis annuaque ab eo accipit[1]. Jam ab anno MCCCCLXXVIII eum Renatus Santi Deodati canonicum fieri optat; sed serius ejus voluntati canonici obtemperaturi erant, qui nostro anno MCCCCLXXX in collegium suum adscito posterius tantum præbendam attribuere[2]. Interea hic Nanceiensis valetudinarii Beatæ Mariæ[3] dicati procurator deligitur et omni ope nititur ut trium obsidionum injuriis quassati muri restituantur omniaque resarciantur damna[4]. Parum tamen in hoc incepto videtur profecisse. Certe hujus valetudinarii administrationem anno MCCCCXCV reliquit, et circiter annum MCCCCXCVII Sanctum Deodatum commigravit, sedem ibi usque ad mortem collocaturus. Nova huic annua a Renato constituta sunt, quem vita defunctum (MDVIII) Petrus, jam unum et septuagesimum annum natus, « chronogrammate » celebravit[5]. Non multo post ipse, cæcus extremo tempore ætatis factus, diem supremum obiit, anno MDX, Sancti Clementis[6], id est tertio et vicesimo Novembris die, quod nos docet Joannis Basini Sandacurii[7] « chronogramma » :

CLeMentIs festo hIC, Petre, InCIpIs esse sepVLChro.

---

1. 30 florins. Cf. 1er registre des lettres patentes de René II, fol. 372 verso. Archives départementales de Meurthe-et-Moselle. Trésor des chartes de Lorraine, B. 1 « pour le bon rapport qui fait lui a esté de maistre Pierre de « Blarru, licencié en décret, confians par ce de ses sens et vertus..... »

2. J. Rouyer, *Nouvelles Recherches*, p. 218 sq.

3. In vico dicto « des Dominicains ».

4. Vide Renati litteras 30 aprilis MCCCCLXXXIX. Arch. départ. B. 3. « ...... lequel (hôpital) par hostilité et violance d'armes, avoit esté mis et « rédigé en ruyne et misérable décadance durant le temps des sièges mis et « levez devant nostredite ville de Nancy. » Vide quoque : Lionnois, *Histoire de Nancy*, t. II, p. 444 sq.

5. Vide : Renati secundi Syciliæ Regis et Lothoringiæ ducis vita, per Joannem Aloysium Crassum Calabrum edita. (*Journal de la Société d'archéologie lorraine*, juin 1875.)

ReX probVs In sanCta reqVIesCat paCe renatVs
TrVXqVe graVi CesVs antea Marte Leo.

6. Sancti Clementis vici, qui Sancti Deodati in vicinia est, presbyter erat Petrus de Blaro Rivo.

7. *Sandaucourt*, tribus leucis a Novo Castro (*Neufchâteau*) distans. J. Basinus vicorum *Wissembach* et *Gironcourt* dictorum presbyter fuit, aulæ tabellarius et Deodatensis canonicæ ab epistulis.

Hujus morientis suprema mandata idem Joannes Basinus, magna cum eo necessitate conjunctus, exceperat[1]. Duo alia habemus Petri epitaphia versibus scripta a Philesio et a Laurentio Pilladio[2], Deodatensibus canonicis.

Conjicere licet jam Nanceii nostrum inchoavisse illud poema quo nomen suum nobilitatum iri sperabat, stimulos addente amicorum plausu. Cum autem Sancti Deodati quatuordecim annos degerit, ibi non dubium est extremum perficiendæ et limandæ *Nanceidos* laborem adhibitum esse. De qua antequam dicere instituam, non ab re alienum videtur summatim exponere qualis, Renato II principatum exercente, fuerit in Lotharingia litterarum condicio, quæ studia Sancti Deodati præcipue viguerint, quibus et quam doctis sodalibus uti Petro contigerit. Ita melius intellegetur quomodo et nasci, et non indigne pro tempore absolvi, denique post nostri mortem, accuratissime publicari *Nanceis* potuerit. Non enim e squalido et sterili solo editus est hic qualiscumque sed non adeo contemnendus heroici carminis fetus, quo delectata tota Lotharingia est.

Satis multis argumentis comprobari posset hanc provinciam, post tot in bellis præclare gesta et prostratum infensissimum hostem, elatiore quodam spiritu afflatam esse et jam aura illa genitabili tactam quæ, ineunte sexto decimo sæculo, artes et litteras fotura et renovatura erat. Mox magnifico opere monumenta exstruentur quæ nunc etiam admirationem movent. Dum Nanceii denuo ædificatur ducum palatium, exsurgit ingens Sancti Nicolai de Portu ecclesia, vel hoc conspicua quod inter novissima templa recensetur quæ gothicæ adscribas architecturæ. Mox, ut ceteros omittam, Lotharingus sculptor *Ligier Richier* non despiciendus Michaelis Angeli discipulus existimabitur, qui eximia arte « vivos de marmore » ducet vultus.

1. Petri de Blaro Rivo testamentum nuper repertum (*Archives départementales des Vosges*) cum notis editum est a J. Rouyer, *Le Testament de Pierre de Blarru, auteur de la Nancéide, annoté, etc.* (*Mémoires de la Société d'archéologie lorraine,* 1888.) Nihil quod ad *Nanceidem* pertineat ex hoc testamento excerpere licet, quo tantum Petri pietas significatur et cum quibusdam canonicis, præsertim cum Joanne Basino, benevolentiæ conjunctio.

2. Pilladius avunculus fuisse creditur Pilladii illius qui *Rusticiadem* composuit.

Nec vero minus doctis viris et poetis quam artificibus favet Renatus, ut qui non parvam ex litteris nomini suo speret gloriam. Ipse, liberalibus disciplinis imbutus, ut ejus avus prior ille Andecavensis Renatus, dicere solebat illitteratum principem nihil aliud esse quam diadematum asinum[1]. De eo scribit Joannes Aloysius (*op. cit.*): « Studiosos et litteratos viros summis honoribus affecit. Sacras literas per se legit. Recentiorem hystoriam studiosissime vidit. Syderali scientiæ exactissimam navavit operam, nec jurium fuit ignarus. »

Quanquam igitur Renato in id ante omnia incumbendum fuit ut victoriæ tanto labore partæ fructus perciperet et quæ belli impetu prostrata atque perculsa jacebant excitaret, hoc tamen muneris sui et provinciæ esse existimavit litteratorum virorum studia fovere, quorum ingenio putabat ea, quæ gesserat, posse celebrari.

A clericis vero, eo sæculo præsertim, in Lotharingia cultas et promotas esse litteras quis est qui miretur? Quæ domicilium sibi elegisse potissimum videntur hanc Deodati nomine appellatam urbem, ubi floruit non ignobile illud Vosagense collegium, cujus pars major canonici fuerunt, artibus et scientiis liberalibusque studiis summopere dediti. Audi quam effuse, ne dicam intemperanter, beatam eam Sancti Deodati ecclesiam Hugo, Stivagii[2] abbas, laudibus extollat (*op. cit.*, præf.): « Præpositura Sancti Deodati, a suo autore nomen obtinens, omnibus antiquitate prævalet, si excipias Stivagium. Nunc omnibus nobilitate præit ex summorum Pontificum liberalissima largitate et Principum beneficentia. Floruit olim præsidentium inclytis natalibus, floruit eruditorum fama, Sanctorum pietate, et quamvis grassans in Clero segnities alibi in otio canonicos torpentes

---

1. Nicolas Remy, ***Discours des choses advenues en Lorraine.*** 1473-1508. « ...... Il se plaisoit grandement à la lecture de l'histoire, mais aussi des « livres de la philosophie et même de la théologie, disant qu'un Prince non « lettré estoit un asne couronné. Et comme il ouyt un jour raconter qu'un « certain Prince de son temps disoit que le latin et les lettres n'estoient « choses dignes de l'exercice et de l'occupation d'un grand Prince, il res- « pondit que ces propos ressentoient plustost le meuglement d'un bœuf que « le langage d'un homme, etc. »

2. Étival.

detineret, æmulus quidam scribendi ardor incessit, sæculo decimo sexto ineunte, istius collegii alumnos, politiori litteratura Marone non inferiores. »

Credibile est Gymnasium Vosagense ad ejus *Sodalicii literarii* exemplum constitutum esse quod Argentorati sub finem quindecimi sæculi Jacobus *Wimpheling* et Sebastianus *Brant* formaverant[1]. In hac enim urbe, aliquot juvenes, cum presbyteri tum laici, cum ex Universitatibus reduces, litterarum studium inter se alere et refovere cuperent, statis diebus congregari instituerunt ut liberalium artium commercio uti sibi liceret et æmulatione accenderentur. Hi ipsi Rhenanam et Danubianam sodalitates videntur esse secuti, quas Moguntiæ et Vindobonæ Conradus Celtes condiderat. Venetiæ quoque circiter annum MD Aldus Manutius aliquot eruditos viros in cœtum quemdam contraxerat. Inde ea Aldi *Neacademia* orta est, cujus præcipuam curam in eligendis libris qui excuderentur versatam esse traditur[2].

Utrum iis sodalitatibus paulo ætate inferius an fere eodem tempore natum sit Gymnasium Vosagense, non liquet nec satis firmis argumentis dijudicari potest. Constat certe jam sub fine quindecimi sæculi viguisse hoc Sancti Deodati gymnasium, a Gualthero Lud canonico conditum, qui Renati II capellanus et consiliarius et ab epistulis scriba fuit. Gualthero autem, cum doctos Deodatenses societatis quodam vinculo jungeret, hoc præcipue propositum erat ut libri quam plurimi compararentur aut typis mandarentur in ea quam ipse instituerat officina[3]. Nec hic locus est ut omnes hujus Gymnasii consortes enumerem et singillatim memorem quæ quisque elaboraverit. In breve cogam quæ de hac sodalitate docti viri disseruerunt[4]. Inter

---

1. V. Schmidt, *Histoire littéraire de l'Alsace,* p. 30, et *Introd.,* p. XVII.
2. Cf. Hallam, *Histoire littéraire de l'Europe pendant les* XVe, XVIe *et* XVIIe *siècles;* traduction de Borghers, t. I, p. 257. 1839.
3. In Bibliotheca Sancti Deodati nunc etiam asservantur centum et quadraginta libri, ex iis qui in ipsis artis typographicæ incunabulis editi sunt, a canonicis olim collecti, quanquam multi et pulcherrimi in anno MDCCXCII evanuerunt.
4. Schmidt, *op. cit.,* t. II, p. 109 sq.
G. Save, *Bulletin de la Société philomathique vosgienne.* Saint-Dié, 1890, p. 253. « *Vautrin Lud et le Gymnase Vosgien.* »
G. Save, *Le Graduel de Saint-Dié.* (*Lorraine artiste,* 1891.)

viros hac societate conjunctos, reperias Petrum de Blaro Rivo, Martinum *Waldseemuller* Hylacomilum dictum [1], Matthiam *Ringmann* [2], Philesium [3] cognominatum, qui Argentorati Jacobi Wimphelingii discipulus fuerat, Joannem Basinum [4], *Nanceidis* editorem, Nicolaum Lud, Joannem Lud [5], scribam ab epistulis Renati II, Joannem Aloysium Crassum Calabrum [6], qui a Philesio appellatur « vir multiscius et sine controversia doctissimus [7] », Christianum Castinetensem (*de Châtenoy*), Andream Reginium (*Reynette*), Laurentium Pilladium seniorem, Hugonem de Hasardis, episcopum et comitem Tullensem. Posterius autem Vosagensi gymnasio adsciti sunt, ne omnes recenseam, Symphorianus Camperius [8], Antonii ducis medicus, et Nico-

---

1. Cf. D'Avezac, *Martin Hylacomilus Waltzemuller, ses ouvrages et ses collaborateurs*. Paris, Challamel. 1867.
Schmidt, *op. cit.*, II, p. 113 sq.
2. De quo vide Schmidt, *op. cit.*, II, l. IV, ch. 4, p. 87 sq.
3. Quare Matthiæ *Ringmann* hoc cognomen : *Philesius* inditum sit variæ rationes redditæ sunt. Arbitratur *C. Schmidt*, et plerique eum sequntur, hoc cognomen ab Apolline Philesio ductum esse. (*Op. cit.*, p. 89, t. II.) « ..... Il « se donna ou un de ses maîtres ou camarades lui donna le nom classique « de Philésius, l'affectueux, une des épithètes d'Apollon, répondant au ca- « ractère aimable et enjoué du jeune Alsacien. — Philésius, épithète d'Apollon, « surtout à Didyme. Pline, *Hist. nat.*, lib. 34, cap. 8. — Stace, *Theb.*, lib. 8, « v. 198. »
Verisimilius autem mihi videtur tali cognomine originem Matthiæ Ringmann tantum significari. Cum de loco ubi natus est id solummodo moneat ipse : *Vogesigena, Vogesus mihi patria*, etc. (Cf. Schmidt, *op. cit.*, t. II, p. 87-88 et note 1-2), facile crediderim illum Philesium cognominatum esse a Philesia valle (Val-de-Villé [à 6 kilom. de Schlestadt]). Ita enim « le Val-de-Villé » latine appellatur a Laurentio Pilladio. (*Rusticias*, ed. Dupeux, t. II, p. 240, v. 18 :

Et sua Philesiam ad vallem castra reducit.

p. 242, v. 8 :

Philesiam per vallem, etc.

Inde oriundum Matthiam *Ringmann* esse jam nunc probabile fit.
4. Cf. G. Save, *Lorraine artiste*, 5 juillet 1891, « *Maison de Jean Basin de Sandaucourt à Saint-Dié des Vosges* ».
5. Cf. Henri Lepage, *Bulletin de la Société d'archéologie lorraine*, t. V, p. 216; t. IX, p. 411. « *Joannes Lud, Chrétien de Chatenoy et Jean Aloys.* »
6. Cf. Henri Lepage, *Journal de la Société d'archéologie lorraine*, 1875, p. 76. « *Sur l'auteur d'une vie de René II, imprimée à Saint-Dié.* » Hanc Renati II vitam *H. Lepage* cum gallica translatione edidit, *ibid.*, p. 102-124.
Cf. *Journal de la Société d'archéologie lorraine*. H. Lepage, « Nouvelle « note sur l'auteur de la vie de René II imprimée à Saint-Dié en 1510 et sur « Jean Perrin. »
7. Renati vitæ dedicatio Tullensi episcopo Hugo de Hasardis.
8. Cf. Allut, *Symphorien Champier*. Lyon, 1854.

laus *Volcyr*[1], ejusdem ducis scriba ab epistulis. Qui, etsi non omnes Sancti Deodati sedem habuerunt, tamen cum sodalitate Vosagensi epistularum commercio quodam, vel aliis vinculis conjuncti sunt, et pari studio grammaticæ, litteris, historiæ, juri canonico, geographiæ et artibus operam dederunt. Magna inde Deodatensi civitati fama comparata, si credas uni ex iis dicenti :

> Est locus in Vosego jam notus ubique per orbem,
> A, Deodate, tuo nomine nomen habens[2].

Officina vero typographica a Gualthero Lud, ut supra memoratum est, instituta fere antiquissima Lotharingiæ habetur[3]. Ibi edita est ab Hylacomilo et Philesio conspicua illa Cosmographiæ introductio Maximiliano imperatori dicata[4], in qua primum constat descriptum esse novum orbem a Christophoro Colombo inventum et primum Americam appellatum[5] de Americi Vespucii nomine, quem tantum Deodatenses geographi videntur novisse. Huic libro additæ erant quatuor Americi Vespucii navigationes a Joanne Basino latine translatæ. Ex iisdem typis tres quoque libri excusi sunt, primum *Novus elegansque conficiendarum epistolarum tractatus,* a Joanne Basino scriptus (MDVII),

1. Cf. A. Digot, *Nicolas Volcyr.* (*Mémoires de l'Académie de Stanislas,* 1848.)
2. Philesius, *Grammatica figurata.* Epistola ad Gualterum Lud. — Cf. Schmidt, *op. cit.,* t. II, p. 121.
3. Vide Arthur Benoît, « Notes sur les commencements de l'imprimerie à Saint-Dié » (*Bulletin de la Société philomathique vosgienne,* t. XIII, p. 183.)
4. *Cosmographiæ introductio cum quibusdam geometriæ ac astronomiæ principiis ad eam rem necessariis. Insuper quatuor Americi Vespucii navigationes, etc.*
Vide d'Avezac, *op. cit.,* p. 28 sq. L. Gallois, *Les Géographes allemands de la Renaissance.* (*Biblioth. de la Faculté des lettres de Lyon,* t. XIII. Paris, Leroux. 1890.)
5. « ..... et alia quarta pars (orbis) per Americum Vesputium (ut in se-
« quentibus audietur) inventa est, quam non video cur quis jure vetet ab
« Americo inventore, sagacis ingenii viro, Amerigen quasi Americi terram,
« sive Americam dicendam..... » Fol. XV, verso (Hylacomilus).
Cf. E. Meaume, « Recherches sur Améric Vespuce ». (*Bulletin de la Société d'archéologie lorraine,* t. XXXVIII, p. 55.)

deinde *Grammatica figurata* (MDIX), a Philesio composita [1], denique *Renati II vita* (MDX) vel potius laudatio, Joannis Aloysii opus, quod Andreas Reginius publicavit. Alii etiam libri præparabantur vel in eo erant ut typis mandarentur, ut *Nanceis* nostra et præsertim Ptolemæus latine translatus [2], in quo omnia studia figebat Philesius, adjuvantibus Hylacomilo et Gualthero Lud, cum præmaturo exitu interceptus est (MDXI) vix novem et viginti annos natus, dignus sane cui vita longior contigisset. Jam inde nullum librum peperit Gualtheri Lud officina, qui ipse anno MDXXVII obiit.

His sodalibus usus est Petrus de Blaro Rivo. Quatenus vero iis laborum in partem venerit non satis liquet [3]. Non dubitare tamen licet eum gnaviter Gymnasio Vosagensi operam præstitisse, et in hoc doctorum virorum collegio hanc sibi peculiariter provinciam suscepisse ut Latinam et forte Gallicam quoque Musam coleret. Præter enim amplum hoc *Nanceidos* opus cui conscribendo per multos annos invigilavit, feruntur alia quædam brevia ejus carmina, primum : *Avicularum in caveis captivarum elegia, quarum dum viveret amator nonnunquam fuit et libens alitor* [4], deinde duo hymni in honorem sancti Deodati. Quorum prior duodecim sapphicis strophis scriptus parastichidem præbet, cum ex capitalibus litteris hæc resultent verba : *Sancte Deodate præsul, intercede pro tuis fidelibus. Amen.* In altero autem quinque stropharum octosyllabos versus ita disposuit Petrus ut duo similiter desinentes inter duos eumdem reddentes sonum inter-

---

1. Cf. d'Avezac, *op. cit.*, p. 127 sq.
Schmidt, *op. cit.*, t. II, p. 119 sq.
Nullum jam exstat *Grammaticæ figuratæ* specimen, ex quo illud quod Argentorati asservabatur in publica bibliotheca flammis haustum est, sævientibus in oppidum obsessoribus, anno MDCCCLXX.
Præter libros supra enumeratos nullum alium reperire est Sancti Deodati typis impressum. Solus *Gravier* (*Histoire de Saint-Dié*, 1836) contendit jam in ultimis quindecimi sæculi annis edita esse Sancti Deodati a Gualthero Lud excerpta quædam moralia ex Seneca, Plutarcho et Petrarcha. Cujus dubii opusculi nusquam alias memorati nullum vestigium superest.
2. Cf. d'Avezac, *op. cit.*, p. 141, sq.; Schmidt, *op. cit.*, t. II, p. 130.
3. Certe, Joanne Aloysio rogante, scripsit hoc chronogramma quod in *Vita Renati* legitur.
4. Hanc elegiam (decem disticha) edidit *F. Schütz* (*La Nancéide*, t. II, p. 300).

poneret. Quos insequuntur octo versus in quibus tredecim syllabas computes, et ea lege scripti ut in omnibus pariter homœoteleuton servetur [1]. Nec infitiandum est hæc poematia amœnam facilitatem præ se ferre et quemdam dicendi nitorem. Credas Sautelio[2] adscribendam esse de captivis avibus elegiam, unde liceat mihi paucos versus exscribere quibus misericors et mollis nostri animus significatur :

(*Aves loquuntur*) **Tristia captivo solamur tædia cantu,**
Et vobis nostro est læta canore dies.
Forsitan et gemimus dum nos cantare putatis,
Nec miseret nostri vos aliquando mali.

Gallicos quoque versus a Petro compositos esse haud ægre credas, sed ex quibus epigramma tantum superest ejus tumulo insculptum, quod olim in collegiali Sancti Deodati ecclesia lectum a *D. Calmet* descriptum est. Ex his octo versibus non facile dispexeris qualis fuerit Petri de Blaro Rivo Gallica musa quibusque vel dotibus vel vitiis insignis. Haud tamen dicas prorsus abesse ab ejus condiscipuli Villonis forma hos nostri versus :

O Messyas Jehsus Christ, Angulaire Pierre,
Pityé prends et mercy de moy, feu pecher Pierre,
Infernale prison m'est due; mais ta mère
Donne espoir à ma crainte horrible et fort amère.

Cf. Villonis *L'Épitaphe en forme de ballade que feit Villon pour luy et ses compagnons, s'attendant estre pendu avec eux*[3] :

Prince Ihesus, qui sur tous a maistrie,
Garde qu'Enfer n'ait de nous seigneurie;

et supra :

Excusez-nous — puis que sommes transsis —
Envers le Filz de la Vierge Marie,

1. Vide *F. Schütz, ibid.*, p. 302-304. Editi sunt quoque hymni supradicti a Mone : *Lateinische Hymnen des Mittelalters,* t. III, p. 263.
2. Cf. Sautel, Lusus allegorici, II, *Avis captiva;* cujus certe magis affectata est et arcessita elegantia.
3. Ed. Longnon, p. 120.

Que sa grâce ne soit pour nous tarie,
Nous preservant de l'infernale fouldre.

Salibus quoque Petrum interdum delectatum esse vel argumento essent duo ejus epigrammatica carmina quæ in *Nanceidis* codice relata sunt (XII). Has autem ambages tantummodo intelleges si Latina verba gallice pronuntiaveris [1], quæ jocoso Petri « ἀναγραμματίσμῳ » inscripta sunt : *Drap brûlé.*

Ea enim indole fuisse videtur ut facetiis libenter indulgeret, quod ex epitaphiis ab ejus sodalibus compositis licet conspicere, cum ibi non tantum ipsius facundia et poeticum ingenium prædicentur [2], sed etiam urbanitas et hilaris animus :

Scommate milleno, salibus quoque labra fluebant,
Promebas gratis seria mixta jocis [3].

Immo generis hujus avidiorem fuisse nostrum et iis forsitan festivitatibus abusum esse apparet, cum intempestive in *Nanceidem* ipsam, elusa heroici carminis dignitate, dicteria et litterarum mutationes irrepserint.

Sed, ne severius de eo judicasse videamur, ad summam laudi potius hoc Petro dare et gratulari æquum est, quod, quanquam in extremis annis oculis captus, « Smirnæi sortem vatis perpessus acerbam [4] », leni semper et jucunda et alacri mente permanserit, ut sapientem decet et virtutum cultorem [5].

Venio nunc ad *Nanceidem* illam, cujus beneficio sperabat noster moriens fore ut nomen suum famæ insereret, non aliter sentientibus Gymnasii Vosagensis sodalibus; hæc enim scribebat Philesius [6] :

---

1. De superiorum versuum ambage :

Hæc, quamvis pedibus gradiantur metra latinis,
Gallicus ex horum gutture sermo sonat.

2. Petre diserte......
Tradideratque artes magnus Apollo suas.

(Epitaphium Petri de Blaro Rivo a Matthia Rithmanno Philesio Vogesigena compositum.)

3. *Ibid.*
4. Petri Epitaphium a Philesio compositum.
5. « Virtutum cultor maximus. » (Petri Epitaphium a Laurentio Pilladio scriptum.)
6. Petri de Blarro Rivo Epitaphium. Cf. Laurentii Pilladii *Epitaph.*

Et fera magnanimi cecinisti bella Renati,
Ipsaque Burgundi colla subacta ducis.
Conditur hic corpus; mens celita regna petivit,
Et vivet nomen tempus in omne tuum.

Cujus poematis conscribendi quo anno noster consilium ceperit incertum est, in quo absolvendo multos sine dubio annos consumpsit. Nec magis in aperto est utrum sponte studia in *Nanceide* posuerit, an adhortanti Renato, gloriæ suæ propagandæ cupidissimo, paruerit. Huic incepto certe propenso animo favisse Lotharingiæ ducem indubitatum facit libellus, auctore Renato, a Christiano, ejus ab epistulis scriba exaratus, recentis adversus Burgundos belli brevem commemorationem complectens, qua de nonnullis factis et adjunctis certior fieret poeta[1]. In fabularum numero reponendum arbitror quod, *Chevrier*[2] auctore, refert *D. Calmet*[3], quinque annos a nostro absumptos esse excogitando poematis sui titulo, quem cum reperisset fere *Æneidi* consonantem, summa lætitia gestiens, tum demum operi se accinxisset. Quis est enim quem fallat haud tanti molimenti fuisse hanc inscriptionem invenire, cum, exempli causa, Statii *Thebais* pari modo ab obsessa urbe appellata nostro in promptu esset? Compertum saltem habemus et componendo et emendando poemati

---

1. « La vraye Déclaration des faits et conduite de la bataille de Nancy, où « le Roy René fut victorieux contre Charles, duc de Bourgongne, en 1476, « dressée par Chrétien, secrétaire dudit Seigneur et de son ordonnance, « donnée à maistre Pierre de Blaru, chanoine de Saint-Diey, qui a composé « le livre appelé les *Nancéydes.* » Edita a *Dom Calmet* (*Preuves de l'Histoire de Lorraine*, t. VII, col. 151 [1757]). Rursus impressa a *Cayon,* cum libello inscripto : ***Chronique ou Dialogue entre Joannes Lud et Chrétien.*** Nancy, 1844.

In hac editione quædam cum priore dissimilitudinem habent, et inter alia, opusculi titulus, p. 60 : « La vraye déclaration des fait et conduite de « la bataille de Nancy, de laquelle fut moyennant l'aide de Dieu victorieux « le feu bon roy René, duc de Lorraine, mon souverain seigneur, composée « par les mémoires et billets de Chrestien, et dont desjà et de pieça, il en « laissa par ordonnance dudit seigneur à maistre Pierre de Blaru, chanoine « de Saint-Diey, certains articles sur lesquels on dit ledit maistre Pierre « avoir fait une chronique. »

2. ***Histoire de Lorraine,*** t. VIII, p. 38.
3. Epistola ad J. Cusson, MDCCXXVII.

haud paucos annos[1] Petrum impendisse et sane manifestus est ex ipso opere labor, quod multa die et multa litura non tam correctum quam cicatricosum factum est. Non autem de edenda *Nanceide,* vivo Renato, videtur actum esse, quanquam jam ante ducis mortem, compositum opus et perfectum fuisse credibile est. Paulo post ipse Petrus morte interceptus est, qui moriens opus suum publicandum Joanni Basino commisit. Legimus enim in epistula Basini ad Tullensem episcopum et ad Desiderium Boussardum : « ..... Quam (*Nanceidem* Petrus) supremis « inter efflandam animam verbis, nostræ commisit fidei atque « custodiæ[2]. »

Jam, post Petri obitum, duo anni effluxerant, cum Antonium ducem subiit consilium typis mandandi hoc epicum carmen quo, pro nostri facultate, ipsius patris et totius Lotharingiæ gloria extollebatur. Legimus enim in rationis libro Johannis Gerleti, excudendo primo *Nanceidis* libro[3] pecuniam a Lotharingorum duce attributam esse[4]. Sed Philesius typographus, cui hujus editionis cura delegata erat, posteriore anno vita defunctus est, antequam opus exigeret. Verisimile est etiam rem ab initio impeditam jacuisse, cum in epistula, qua librum *Syntagma de Musis* inscriptum Andreæ Reginio dicat, moneat eum se diuturno gravique morbo conflictari[5]. Nova igitur mora

1. Legimus enim in Epitoma ab ipso Petro composita (p. XXII, ed. *Schütz*) : « ..... donec *quinto demum lustro defluente* figmenta hæc vanescerent. » Verisimile inde fit, vicesimo quinto tantum post Renati victoriam anno, id est : *MDII Nanceidem* perfectam esse.

2. Ed. anni MDXVIII. Cf. *ibid.* Joannis Basini Antonio duci dedicatio : « *Nanceidem* mihi a Petro de Blarro Rivo Parhisiano, illius autore, inter obeundum relictam. »

3. « A Philiseus la somme de 20 francs, monnoye de Lorraine, que mon- « dict Seigneur le Duc luy a ordonné cette fois, à condition qu'il fera im- « primer le livre premier de la *Nancéide.* Par mandement donné à Nancy le « XVIe jour de mars 1510. » (Intelligendum autem est : 16 *mars* 1511.) 2[e] compte de Jean Gerlet, trésorier général de Monseigneur. (*Archives de Meurthe-et-Moselle.*)

4. Cur primum solummodo *Nanceidis* librum excudi jusserit Antonius, non satis liquet. Fortasse quid de hoc poemate legentes sensuri essent circumspecte explorare in animo habuit, vel quid Philesii posset ars typographica in hoc edendo opere primum experiri. Nisi forte singillatim cuique libro publicando pecunia attribuenda fuit.

5. « Porro autem cum sat cito fiat quicquid bene fit, memineris, quæso, in- « terim me excusare apud eos, qui, *Nanceidis* editionem nimis ardenter

Nanceidi allata, fati nescio qua malignitate membranis jamdiu intus positis exitum claudente. Cur vero rursus septimum in annum pressæ sint, Lotharingi poematis editionem multis ardenter expetentibus, ratio in obscuro manet. Certe, deficiente Philesio, non deerant omnino, præter Gualtherum Lud, typographi. Jam enim anno MDIII, Petrus *Jacobi,* Sancti Nicolai de Portu presbyter, *Horas Virginis Mariæ ad usum Tullensis ecclesiæ* ediderat, anno MDXV *De artificiali perspectiva* librum Johannis Peregrini typis mandaturus [1]. Utcumque res se häbuit, anno demum MDXVIII [2] ejusdem Petri Jacobi ex officina in vulgus emissa est dudum exspectata *Nanceis,* multa pro tempore diligentia magnoque sumptu edita, acrem quam maxime curam in hoc impendente Joanne Basino, qui, inter alia, plurimis annotationibus amici sui poema explanavit et cujusque libri argumentum versibus inclusit. Multa *Nanceidis* volumina, cum per Lotharingiam, tum trans hujus provinciæ fines dimissa esse apparet, quorum magna pars interiit. Jam *D. Calmet* tempore raram inventu factam esse *Nanceidem* [3] patet ex ejus epistula ad *J. Cusson* scripta anno MDCCXXVII, in qua hunc Nanceianum typographum hortatur ut Petri de Blaro Rivo poema rursus excudere aggrediatur [4]. Cui consilio cum *Cusson* non obsecutus sit, in hoc tantum sæculo, *Nanceis* iterum typis mandata est, curante *F. Schütz* [5].

Priusquam autem de *Nanceidis* editione finem faciamus, non inopportunum videtur quærere quid sit cur serius in vulgus

---

« expetentes, cunctationem omnemque moram ægre ferunt. Nam propter « diuturnum et gravem morbum, qui me infestat, hactenus fieri non potuit, « sed Christo opt. max. favente mox fiet, atque ita fiet, ut procrastinationem « ubertate compensatam videre oporteat. »

1. Antiquissimus in Lotharingia impressus liber esse videtur hoc *Missale* quod in Sancti Michaelis (*Saint-Mihiel*) Bibliotheca asservatur, n° D. 18. 800 p., typis mandatum Longævillæ ante Barrum (*Longeville-devant-Bar*) anno MDI. Vide : Clesse, « Quel est le premier livre imprimé en Lorraine ? » (*Mémoires de l'Académie de Stanislas*. 1859.) Excipi par est Mediomatricum civitatem, ubi jam ab anno 1482 vigebat ars typographica.

2. MDXIX intellegendum, quando quidem publicata est *Nanceis* nonis Januariis, pugnæ apud Nanceium die anniversaria.

3. Chevrier, *Histoire de Lorraine,* t. VIII, p. 38. 1758.

4. Duo *Nanceidis* volumina pergamenis chartis impressa exstant, unum Lutetiæ (*Bibliothèque nationale*), alterum Vesontionis in publica Bibliotheca.

5. Cf. Indicem bibliographicum.

emissum sit poema, cujus, si Philesio credas, mirifica exspectatio erat. Cujus procrastinationis causam conjectura assequi licet, cum ipse Petrus eam, quamvis per ambages, nos edocuerit in epitoma quæ *Nanceidis* prælocutio est. Ita vero exorditur noster : « Antiquitatis vetustissima testatur observatio res in« gentes silentio nunquam oportere mancipari. Eas nobis pro« futuras, ergastulo taciturnitatis recluso. Verum scriptoribus « detracta exulat beatæ libertatis audacia reprehensioni ob« noxia. Redintegrandam insuper veritatem odere pessimi atque « ringentis invidentiæ sauciantur jaculis auctores, nemine vul« neratos sospiente.

« Inter autem nostræ tempestatis historias scriptu memora« tuque dignissimas, Illustrissimi Renati de gloriosissimo quon« dam Carolo partam victoriam in membranas non prodisse « plerique questi sunt.

« Quos ad querimoniam etsi justa satis provocabat indigna« tio, eos ipsos temporis errori morem gerere decuerat tamen « nec adversus torrentis impetum tunc par erat ulnas obtendere « contumaces[1]. »

Ibi vero annotavit Joannes Basinus : « Audacia — Adversus « scriptorum audaciam invidentium principum obsistebat mali« volentia. Nam, quamvis principes plurimi de casu principis « Caroli lætarentur, de gloria tamen victoris invidere tunc cœ« perunt. Nec frustra scripsit noster Sallustius post gloriam « invidiam sequi. »

Ex aliis quoque epitomæ locis suspiceris Renato quosdam reges invidisse ejusque præclare facta verbis elevasse[2]; inter quos facile Ludovicum XI numeraveris[3]. Cum autem hic obierit anno MCCCCLXXXIII, haud credibile est jam tum scriptam

---

1. P. XIII, XIV, ed. Schütz.
2. « Omni præterea dolebat invido quod Renato veluti novo Herculi Leo « tam vastus cederet, ad cujus rugitum totius Europæ silva fremuerat, armi« potens », sq. P. XX. Schütz.
3. Vide quam parum magnifice de Lotharingiæ duce loquatur Cominius : « De tous costez ay veu ceste maison (de Bourgogne) honorée, et puis, tout « en un coup, cheoir ce que dessus dessoubs, et par la plus désolée et def« faicte maison, tant en Prince qu'en subjects, que nul voisin qu'ils eussent. » L. V, cap. IX.

Nanceidem fuisse. Liquet certe non tempestive Petrum, vivo rege cujus gratiam sequi studebat Renatus, *Nanceidem* editurum fuisse, in qua de Ludovico minus commode, immo infensius memoravit[1]. Eo vero tempore dux Lotharingiæ cum Francorum rege agebat de Barrensi ducatu, de Provincia, Cenomania et Andegavia. Eadem Renato cum Carolo VIII contentio mansit, aliis quoque litibus de Neapolitano regno exortis. Ex alia parte Lotharingiæ duci ratio habenda fuit Maximiliani imperatoris. Hic enim, Frederici III filius, postquam Caroli filiam duxerat, multa Renato pollicebatur ea condicione ut a Francorum rege desciceret. — Inde facilis est conjectura Renatum, non committere voluisse ut a se potentes duos et invidos vicinos abalienaret, si nimis aperte iis gloriaretur quæ in bello adversus Carolum præclare et feliciter gesserat. — Quare eam rationem instituisse videtur ut sibi utrumque prudenter conciliaret, quippe qui olim longæ patientiæ fructum se percepturum esse speraret. Satis illo pertinet hæc summa Joannis Lud Dialogi, nisi quod scriptor temperatius etiam rebus utendum censet : « *Je conseille* « *que l'on entretienne les uns et les autres du mieux que l'on pourra,* « *sans nul d'eulx offendre, et que l'on puisse songneusement garder ce* « *que l'on a, sans qu'on ait follement espérance d'en acquérir d'autre,* « *sans se mettre en danger de perdition.* » (P. 52, éd. Cayon.) Cum igitur consulte rem gereret Renatus et diligenter caveret ne regem et imperatorem aut deprimere aut lædere videretur, ut qui per se non satis adversus alterutrum valeret[2], non jam mirari debemus, quamvis ipsius auspiciis susceptæ *Nanceidis* ab eo repressam vel certe non festinatam editionem esse, quæ de se nimis honorifice prædicare forsitan existimata esset.

---

1. Cf. *Nanc.* I, 59 sq.; IV, 1 sq.; VI, 290 sq.
Quam caute de Ludovico Renati familiares loqui soliti fuerint monent quoque hæc Dialogi verba a Christiano scripti : « Comment (Yolande) fut « desbouttée, deschassée (du comté de Provence) par le roy, *il n'en faut* « *pareillement sonner mot,* combien que le tout soit manifeste et notoire, « etc. », p. 45 sq. [*Chronique ou Dialogue entre Joannes Lud et Chrétien, secrétaire de René II, duc de Lorraine, sur la défaite de Charles le Téméraire devant Nancy,* 5 *janvier* 1477. — Ed. a J. Cayon (Nancy, 1844).]

2. Renatum Nicolaus *Remy* tædæ comparat quæ, dum ceteros illustrat, ipsa consumitur : « s'estant (comme le flambeau) consommé en esclairant les autres ». (*Discours des choses advenues en Lorraine.*)

Alia quoque, sed minoris ponderis, nos in epitoma sua monuit Petrus de Blaro Rivo. Ægre ferebant Burgundi se ab infirmo, ut aiebant, et vix adulescentia egresso principe devictos esse et ipsorum cladis gloriam a Germanis vindicari æquiore animo patiebantur : « Et jam profecto victum, fusum defectum« que Senones fatentur Carolum, sed auctorem tam strenui « facinoris confiteri dissimulant, hanc Germanis victoriam, su« blato victoris nomine, patientius ascribentes. Ab Renato ita« que hunc victum pernegant, sed ab auxiliaribus copiis quas « obæratas aut fœdere vinctas Lotharingus victor contraxerat [1]. » Quod quam temere ac falso Burgundi contenderint cum indignatione quadam manifestum facit noster eosque ita redarguit : « Ineptiunt sane qui capiti laudem secernunt, quam solis artu« bus distribuant, nil aliud quam in ariete quintum quæritantes « vestigium [2]. »

In ipso quoque poemate invidiam eorum amolitur quibus nimis extulisse Renati gloriam visus est :

.... Ducis mea fortibus otia gestis
Æquavi, quanquam læso damnandus ab omni.
Nullus enim historicos judex legit æquus, ob arma
Suspectus. Quæ nos offendunt vera negamus.
Juratos igitur testes cum judice musa
Spernito *Nanceidi* quos nostræ conjicis hostes [3].

Ut supradicta paucis colligam, credere licet hoc ipsum obstitisse quominus *Nanceis* maturius ederetur quod ibi veritatis diligens Petrus de Blaro Rivo sincera fide, cum Ludovici XI astutiam crudelitatemque, tum Renati virtutem et pertinaciam expresserat, ducem non passus legitima sua laude fraudari. Sed cum veritatem ipsam tegi ac dissimulari, si ratio temporis postulet, expediat, e latebris tantum prodibit *Nanceis,* cum pacatæ et compositæ fere omnes lites videbuntur. Jam vero, cum in anno MDX Antonius Philesio excudendum poema commisit,

---

1. P. XXIV, Schütz.
2. P. XXVI, Schütz.
3. *Nanc.*, VI, v. 1288 sq.

nulla ei cum Franciæ rege controversia erat. Nam ipse apud Ludovicum XII educatus, in Italiam regem comitatus erat, et pugnæ apud *Agnadello* interfuerat (MDIX). Denique, cum primum typis poema mandatum est (MDXVIII), non minore gratia Antonius apud Franciscum I erat, cujus ad latus stans fortissime apud Marignanum pugnaverat (MDXV). Hac fretus amicitia potuit contemnere invidorum malevolentiam. Nihil jam impedimenti erat quominus meritæ Renato laudes solverentur et, restinctis studiis, in vulgus emitteretur *Nanceis* quæ jam quodam temporis intervallo distantia facta caneret.

CAPUT II

NANCEIDIS DISPOSITIO. — QUATENUS IN HOC POEMATE HISTORIÆ FIDES SERVATA SIT.

Nanceidis ipsius argumentum primo adspectu intuenti non indignum apparebit quod epici carminis onus sustentare valeat. Immo copiosam et commodam poetæ materiam in promptu esse dicas, quippe quæ rem unam complectatur varietatibus tamen distinctam. Τριλογίαν certe haud immerito appellaveris hanc pugnarum seriem quæ apud Grandisonum, Moratum, Nanceium denique consertæ sunt et quibus obruta est formidanda Caroli potentia. Nemo est qui non fateatur nullo fere in eventu clarius deprehendi occultam illam fati invidiam, νέμεσιν a Græcis dictam, quæ supra humanum modum superbientes et ambitione flagrantes ex alto fastigio gaudet dejicere. Vel, ut magis illis temporibus consentaneis verbis utar, ubi apertius quam in hac Caroli clade divinæ Providentiæ consilium declaratur, quæ « deponit potentes de sede et exaltat humiles[1] » ? Nec minus aptam per se hanc historiam esse existimaveris ad detinendum movendumque eorum animum si qui res humanas a Deo parum vel minime curari arbitrentur. Cuilibet enim, dummodo ejus in mente vigeat patriæ amor, admirationem incutiet haudqua-

1. Non incommode Joannes Basinus (in *Nanceidis* præfatione) Renatum cum Isayda Davidio, Carolum autem cum Philisteo Goliath comparat.

quam par illud exhaustæ et exiguæ provinciæ cum præpollente et ditissimo hoste certamen, et lætitiam afferet ejus victoria unde jus stetisse nemini dubium esse potest. Ne nimis antiqua repetam, ut Xerxem a Græcia submotum et tot alios, nonne eodem sensu quadamtenus hæc gesta leguntur, quo Anglorum clades a Gallia depulsorum Caroli septimi consiliis Aurelianensisque Puellæ eximia fortitudine et fide? Hujus vero tragœdiæ personæ per se satis valent ut poetæ vividas effingere imagines liceat, si modo res, quomodo gestæ sint, accommodate ad veritatem retulerit. Hinc Carolus, turbulenta ac temeraria ambitione furens, et ultionis cupiditate efferatus; inde Renatus, cujus partibus Deus ipse favet, patriæ propugnator, pia ac moderata mente adulescens, cum in consultando prudenti ac prope senili judicio, tum in præliando acri et intrepida virtute. Ne omnia percenseam, non est infitiandum rem a Petro de Blaro Rivo susceptam esse, quæ satis amplam poetæ materiam suppeditet, modo Virgilium, non Capellanum nanciscatur. Utri vero noster cognatione propior videatur et quomodo propositum argumentum tractaverit inspiciendum est.

Nanceis 5088 versus complectitur in sex libros distributos, ita ut explicari dici possit eam septem prioribus *Æneidos* fere æquam. Hoc autem opus vel leviter attingenti brevi apparebit poemati minus quam historiæ simile, sed ejusmodi historiæ quæ plurimis orationibus, sententiis et omnis generis ornamentis distincta et intermixta sit. Simplex saltem et unum *Nanceidis* argumentum invenias, in qua tantummodo narratur diuturna illa et acerrima inter Renatum Carolumque contentio. Nec ab ovo res noster repetit, sed ab initio tantum certaminis incipit, id est circa Maium mensem MCCCCLXXV et desinit ubi suprema Caroli cadaveri mandata sunt (Januario mense MCCCCLXXVII). Ita, apud Grandisonum prælio neglecto, tres solummodo obsidiones Nanceii, pugnæque apud Moratum et apud Jarvillam[1] a Petro relatæ sunt. Res quidem ante gestas non omnino prætermisit, sed ita poema composuit ut eas Renati vel Caroli orationibus notas haberemus. Vide, exempli causa,

1. « Jarville, près Nancy. »

longam Burgundiæ ducis contionem (l. V, v. 462, sq.), in qua ipse præteritas suas superbe victorias recenset, domitum Leodium, exustas Gandas, armis interclusum Rothomagum, pulsum sub Herycio monte [1] Francorum regem, obsessam denique Lutetiam, ingentem arcem et caput Galliæ.

Quæ vero sit in *Nanceide* rerum distributio exponendum et per singulos libros eundum.

Lib. I. — *Belli causæ et armorum initium. Lotharingia a Carolo occupatur.*

Prælia narraturus quæ ferocem Carolum fregere, historiæ Musam primum invocat poeta eamque orat ut Renati gloriam perpetuo honore surgere sinat, dummodo patiatur livor. Deinde argumentum poematis breviter complectitur. Ultimas tantum pugnas, Caroli mortem et funera aggreditur canere. Nanceiam urbem recenti victoria illustratam laudibus effert nec minus Lotharingiam totam, opimam regionem, rivis irriguam, pecoris divitem, ferisque frequentem, ursis etiam, quibus æquius esset parcere, quandoquidem ab urso Bernensi Renati hostes proculcati sunt. Nec desunt ibi aves aucupis arte capiendæ. Aquam ubertim fontes, piscosa flumina et stagna præbent; gemmis, metallis, sale abundat terra, vitibus consiti colles, agri frugibus feraces. Hanc terram jam duobus ab annis Burgundorum dux concupiscebat, ut quæ passim regnare volenti ad multas gentes aditum daret. Postquam autem flagranti cupidini reluctatus est, tandem Lotharingiæ amori succumbit Carolus. Dum Novesium oppugnat contra Cæsaris Frederici fidem, Renato imperator suadet ut fœdus olim cum Burgundorum duce pactum rumpat, Lotharingiæ sane grave et iniquum. Bellum igitur Carolo Renatus indicit, epistula missa quam frendens dux Burgundiæ perlegit, jurejurando statim confirmaturus se infantem illum et proditorem inexpiabili ultione persecuturum. Sine mora Novesium linquitur, pace cum Frederico composita, Pons Monsio

1. Mons *Letherici*, « Montlhéry ».

occupatur, cetera mox oppida Caroli armis sponte cedunt, exceptis Chermis[1], quæ flammis traditur. Cum Spinalensibus etiam et cum Nanceiensibus dux in pactionem venit. Renatus autem, cum contra tantam vim armorum resistere nequeat, patriam linquere cogitur, ut auxilia a Francorum rege arcessat, Lotharingis tamen dilectissimus semper, quorum sub pectore vivit prisca fides. Interea Carolus adulationibus pascitur et ad nova bella se accingit, pii patris institutorum oblitus, nescius quæ jam jamque sibi parentur fata.

Lib. II. — *Post cladem Caroli apud Moratum, Nanceium recipit Renatus sed, adventante hoste, rursus Lotharingia cedit.*

In Helvetia nunc res agitur, quo post cladem a Carolo apud Grandisonum acceptam, quanta maxima potuit celeritate Renatus se proripuit, parva amicorum stipatus cohorte, obsessæ urbi Morato opem laturus. Quem Helvetii effusius exceptum exercitui præficiunt. Exinde sequitur apud Moratum prælii descriptio. Quanta ibi Burgundorum strages! Quæ et quam indecora Caroli fuga! Quam clara impavidæ gentis victoria, pro patria dimicantis! Ecce per angustum iter raptim pedem referentes Burgundos terrent adspecta Renati vexilla; multi gladiis cæduntur, plures etiam lacus fluctibus hausti pereunt. Cum vero Renatum hortentur Helvetii ut Lotharingiam armis recuperet eique subsidia polliceantur, ille a quaque urbe aliquot milites legit, auctoque ex Alsaticis exercitu, ad Nanceii mœnia pervenit. Postquam negavit oppidi præfectus Rubenspratum se fidem Carolo datam violaturum, Renatus, premente necessitate, invitus urbem suam oppugnat, et sua ipsius munimenta proruere cogitur. Urgente tandem fame, ceterum incolis diffisus, præfectus de deditione cum Lotharingiæ duce agere incipit, ea condicione ut milites suos et res sibi abducere liceat. Moras tamen nectere tentat, donec Angli, e quibus præsidii magna pars constabat, ratam esse pactionem jubeant. Renatus a Ru-

1. « Charmes, arrondissement d'Épinal (Vosges). »

benteprato admittitur in urbem, cujus hic certe clementem et æquum rectorem se præstiterat. Gaudio exsultantes ducem suum Nanceienses excipiunt. Quanto vero furore exardescit Carolus! Negat ille se vita dignum quamdiu vixerit Renatus, novisque conscriptis copiis, in Lotharingiam rursus irrumpit, unde iterum quoque Renatus, quid absit virium conscius, discedere statuit, Nanceio prius firmato præsidiis.

Lib. III. — *Nanceium denuo a Carolo obsidetur. Suffronis supplicium. Renatus Helvetios et Germanos conscribit.*

Duodevicesimo Octobris die, Carolus obsidione Nanceium cingere incipit, perjuræ, ut aiebat, civitati excidium minatus, mitibusque consiliis aures implacabilis occludit. Mox tormentorum tonitru reboat cælum, utrimque nocte dieque volantibus incendiis. Hinc pro libertate fortiter Nanceienses resistunt, quorum domus ab igne nive defenduntur; illinc mira constantia atrocis hiemis sævitiam ferunt Burgundi. Interea aliquot Lotharingi nobiles Nanceium noctu subeunt, de Renato nuntium afferentes, quorum pauci tamen ab hostibus capti. Eorum ductor Suffron Caroli jussu ira exæstuantis suspendio interimitur, quamvis effuse pro eo ignominiosam mortem deprecati sint Burgundi proceres. Cujus supplicium propere Nanceienses ulciscuntur, patibulo affixis Burgundis quos captivos tenebant. Dum hæc sub urbis mœnibus geruntur, Renatus apud Helvetios amice exceptus, cum iis et cum Germanis Rheni accolis societate juncta, inde milites cogere festinat. Malo tamen omine exercitus signa convellit, una navicula cum viris qui vehebantur inter trajiciendum Rhenum submersa. Sed commilitonum perculsos animos alacri mente Renatus reficit et ad futura prælia animat.

Lib. IV. — *Litteræ a Nanceiensibus ad Renatum missæ. Nuntius obsessis spem salutis affert.*

Ineunte quarto libro, paucis monemur Ludovicum, Francorum regem, non immerito dubiæ fidei Renato visum, Barrensem agrum occupasse. Interim Lotharingiæ duci redduntur

litteræ ab obsessis Nanceiensibus scriptæ. Mirum sane videbitur tam longam ibi et tam verbosam epistulam Petrum commentum esse, quæ plus quam dimidiam partem hujus libri obtineat. Quam inani loquendi profluentia et quam alienis a re facetiis deformatur arcessita illa declamatio, qua ducem cives certiorem faciunt quam dira fame torqueantur obtestanturque ut sine mora desperantibus subveniat! Quibus auditis, moti pietate atque furore ardent Helvetii armis cum Burgundis congredi. Renatus autem cives suos ad spem erigere nititur, rescripta epistula quam nuntius quidam, postquam, calonis veste indutus, per medios hostes callido dolo se insinuavit, Nanceium ingressus, obsessis in lætitiam effusis reddit. Namque his litteris pollicebatur Renatus se post paucos dies ad urbem cum exercitu adfuturum.

Lib. V. — *Timore perculsos Burgundos duabus orationibus hortatur Carolus. Sanctum Deodatum intrat Renatus. Nova Caroli oratio quem frustra proceres sapientibus monent consiliis.*

Jam propinquantis Renati fama territos Burgundos et ad prælia torpentes superba et vehementi contione Carolus increpat et exhortari conatur. Postquam vero milites quidam accurrerunt clamantes a se Renatum conspectum, nova longaque oratione dux Burgundorum hostem suum elevat, quem exsulem, mendicum, infantem contumeliose appellat, contenditque procul a Lotharingorum tumultuaria grege abesse Helvetios, utpote qui hiberno tempore mapalibus suis sese continere soleant. Quod si vero Burgundorum mentes manusque metu obstupuerint, se vel solum pugnaturum jurejurando confirmat. Interea per Lotharingiam Helvetii alacres iter faciunt et a Deodatensibus civibus summo studio excepti, propero agmine pergunt ad Nanceii mœnia. Quo audito, parumper mente dubius Carolus, rursus tamen recepto animo, apud milites suos contionatus sua olim præclare gesta jactat, quem frustra Burgundi proceres sana et cauta oratione ad mitiora consilia conantur avertere. Ecce autem jam a Renato accensis signis per noctem fulgent Sancti Nicolai turres et crastinam dimicationem prænuntiant.

Lib. VI. — *Sancto Nicolao profectus Renatus apud Jarvillam conserit pugnam. Fuga et cædes Burgundorum. Caroli mors et sepultura.*

In hoc postremo libro tandem ad eventum festinat Petrus, qui hactenus quasi per otium res evolverat. Agmen in pago Sancto Nicolao de Portu congregatum in tres partes Renatus distribuit, multosque sacræ militiæ donat munere. Tum Helvetiorum ductor Hertherus fervida exhortatione milites suos ad prælium accendit. Carolus autem periniquo animo ferens pontem ad Sanctum Nicolaum, multis occisis Burgundis, a Lotharingis occupatum esse, nocte castra linquit insidias Renati exercitui structurus. Dum Jarvillæ iter bellicis tormentis claudit, Nanceienses ex oppido erumpunt et Burgundorum tentoriis flammas injiciunt, procul collucente incendio. Hoc loco enumerat noster duces quibus stipatus erat dux Lotharingiæ, ejus signa et vexilla, ipsiusque equum et arma describit. Tum narrat qua arte nivalis diei opportunitatem nactus, ad opertum tramitem Helvetii se flexerint et a latere Burgundos adorti sint Urani cornus mugitu territos. Quamvis vero acriter repugnet Carolus, post atrox et breve prælium, terga vertere cogitur, dum ingens fit Burgundorum cædes. Sed ipse falso aufugisse creditur, utpote qui in loco qui Viriletum appellatur jam gelata palude demersus jaceat, nulli deinceps formidandus. Ridet Fortuna tam miserandum exitum, sed morienti duci assistit Mavors et ejus mentem longa oratione lenire et consolari conatur. — Quanta vero lætitia ex hostis faucibus erepti Nanceienses exsultant ! Quam grato animo omnipotenti Deo Renatus vota solvit ! Thure omnes aræ redolent, triumphum tota urbs agere videtur. Deinde dux jubet humari hostium cadavera, inter quæ Rubentisprati corpus reperitur ab ipsis Lotharingis defletum. Credebatur tamen de prælio defugisse Carolus, donec mulier quædam certis indiciis ejus cadaver agnosceret. Refert inde Petrus quomodo inimici sui corpus in urbem delatum Renatus lacrimans contemplatus sit et ejus in sancti Georgii templo exsequias magnifice celebraverit, denique Lotharingorum du-

cum sepulchro condiderit. Quo apertius autem gratum Christo animum declaret Renatus, Judæos omnes e provincia sua expellit.

Claudit opus vates postquam Musis valedixit et rursus sincera fide a se scriptam esse *Nanceidem* asseveravit.

Breviter contraxi singulas poematis partes, sed ita tamen ut a prima fronte intuenti liqueat a Petro rerum gestarum ordinem pari gressu servatum esse et diligentis narratoris magis quam ingeniosi poetæ famam affectatam. Vel, ut Petronii verba usurpem, in *Nanceide* potius religiosæ orationis sub testibus fides quam furentis animi vaticinatio apparet. Quod ad dispositionem attinet, patet quoque materiam non peritissime per sex libros digestam esse, cum priores sæpius langueant et non paucis digressionibus aut otiosis locis impediatur narratio.

Quoniam autem se ante omnia simplicis veritatis amicum prædicavit Petrus de Blaro Rivo, primum inquirendum arbitramur quousque æqui rerum scriptoris partes tuitus sit.

Etsi ad celebrandam Renati et Lotharingiæ laudem *Nanceidem* inceptam esse pro certo ponendum est, tamen ad veritatem accommodate, sine ira et studio plerumque, quantum tempus ferebat, Petrum res memoravisse et de personis judicium fecisse nemo non fateatur necesse est. Is summopere studuit ut ea præstaret quæ in suæ *Nanceidis* historiam epitoma pollicitus erat : « Hactenus evaganti trans semet prologo vel « metam figamus, obsecrantes ut heroici tubam carminis qui « non exaudient *auctori tamen non succenseant veridico*[1]. » Hæc eadem in extremo sexto libro : v. 1288 sq., ubi se ipse in historicorum numerum reponit. Alias etiam nos monet Petrus se omnia facta accurate persecutum et singula minutius scrutatum esse :

Nanc., VI, 164 sq. :

> Paucula gestarum seriem ducentia rerum
> Hoc mihi sint memoranda loco, quæ pæne relicta
> Fallere lectorem possent; nam vera volenti
> Stringere rimatu, vigili sunt singula curæ[2].

1. P. xxvi, Schütz.
2. Cf III, v. 687 : « nec mentior ».

Subtiliter igitur locos, dies, menses, cæli temperiem, pugnantium numerum, arma, vexilla commemorat. Ut paucis exemplis utar, discimus tredecim mensibus Agrippinensium agrum a Carolo occupatum esse.

Nanc., I, v. 425 : .... tota qui mensis et anni
Tempestate furens Agrippæ attriverat agrum.

Diem quoque indicaturus quo commissum fuit apud Moratum prælium, certæ temporum rationi inservit :

II, v. 55 : Torrida multipedis Titan tunc viscera Cancri
Septimus urebat......
Ibid., v. 61 : Obsidionis erat (numero mihi crede dierum)
Tertia post decimam [1]...

Nec prætermittitur hora qua desiit pugna :

II, v. 300 : Plus medio traxisse diem et declivia cæli
Carpere solis equos certum est, cum finis atroci
Impositus bello est...

Quæ omnia, etsi parum poetice enuntiata, diligentis saltem narratoris esse confitendum est.

Nec minus sedulo designatos esse locos videas :

IV, v. 21 : Est prope Nanceium, passus ad mille bis, urbem
Eoo accedens pagus, sq.

Mitto quæ Petrus de pugnæ apud Nanceium ordine scrupulose refert, recensis ducibus copiisque, descriptis que Renati vexillis, equo et armatu. (*Nanc.*, VI, 272 sq.) Ne levia quidem omittit, Renatum scilicet, Germanicæ ignarum linguæ, per interpretem fœdus cum Helvetiis sanxisse :

III, v. 642 : .... peregrinæ fœdera genti
Jungit, inops linguæ, ductis interprete verbis.

---

1. Cf. V, v. 418 : *Ultima tunc mensis fuerat currentis et anni*
Illa dies cum.......
II, v. 721 : .... *Duplicatis ergo diebus*
Undeviginti (non amplius) urbe carebant.
Et passim.

Nec magni nostra intererat Nanceiensis hujus civis nomen resciscere cujus in ædes Caroli corpus delatum est : quod Petrus silentio non præteriit.

Nanc., IV, v. 1073 : Exstat in urbe domus civi privata, Georgi
Marce, tua, ut memorant.

Ne autem in pluribus exemplis immorer, in universum *Nanceidem* æstimanti licet concludere ibi res non levi sed accuratissima cura relatas esse.

Fuerit argumentum quod multi ex iis qui bellum Renati adversus Carolum scripserunt ut locupletem auctorem Petrum de Blaro Rivo protulerunt et ab eo confidenter quædam mutuati sunt. Eum certe, ne omnes persequar, ad testimonium vocaverunt *Aubert Roland*[1], *de Barante*[2], *Huguenin*[3], *Marchal*[4].

Quos autem auctores ipse Petrus de Blaro Rivo habuerit non ab re erit inquirere. Primum omnium et ipsum acta quædam oculis comperisse jam supra dictum est, ut qui et Spinali obsidioni et Caroli exsequiis interfuisset[5]. Aliquoties etiam se hoc aut illud ab iis qui audierant aut spectaverant excepisse nos docet :

II, v. 622 : Taliter æquoreos accepi verba Britannos
Evomuisse...

Nec dubium est Petrum de recenti bello apud plurimos percon-

---

1. P. Aubert Roland, *La Guerre de René II, duc de Lorraine, etc., contre Charles Hardy, duc de Bourgogne.* (Luxembourg, A. Chevalier, 1742), p. 98, 293.
2. De Barante, *Histoire des ducs de Bourgogne* (4e éd., 1826, Lavocat), t. XI, p. 140.
3. Huguenin, *Histoire de la guerre de Lorraine et du siège de Nancy.* (Metz, Troubat, 1837). Introd., p. 2: « Les principales sources auxquelles je « puise pour ce travail sont........ la *Nancéide,* poème latin de Pierre de « Blaru sur la guerre du duc de Bourgogne en Lorraine.... »
4. Abbé Marchal, *Mémoire sur la bataille de Nancy* (Nancy, Vagner, 1851), p. 8 : « Le poème latin de la *Nancéide*... est un écho fidèle de ce que racon- « tent sur la bataille de Nancy la *Chronique de Lorraine* et les *Dialogues* « (entre Jean Lud et Chrétien); mais cette composition, remarquable à plus « d'un titre, n'ajoute rien de bien circonstancié et de bien précis aux faits « connus d'ailleurs; elle me servira cependant dans mon travail. »
5. *Nanc.*, I, 13 sq., 554 sq.

tatum esse qui in eo primas egerant partes, vel quorum in oculis res gestæ erant. Ne populares quidem rumores neglexisse videtur, quippe qui etiam cantiuncularum meminerit quibus plebs et gregarii milites Burgundos deridebant. Juvat enim eum referre Lotharingos animum vel in angustiis rerum non demisisse, cum undique in Nanceii mœnia ferrum et ignes implnerent :

Nanc., III, v. 192 sq. : .... Sæva jocosus
Arma levat clamor; tum risus, sanna salesque
Carminaque exsurgunt derisu plena severo,
Inque vicem mordent sese sermonibus hostes.
V. 203. At cives contra hæc : O vestrum a vulpe Caponem
Vos nostra servate, hostes. Vulpecula prædam
Hanc raptura venit; fugiat suadete Caponi [1].

Nemini profecto mirum erit Petro, inter ducis consiliarios versato, in promptu fuisse multa a Lotharingis vel ducibus vel civibus excipere quæ in poema transferret. Quinetiam scriptis commentariis ei uti licuisse constat. Jam supra laudatus [2] est memorialis ille libellus a Christiano, qui fuit Renati ab epistulis, duce ipso jubente, compositus. In expedito est et ad rem pertinere arbitror cum hoc libello conferre quæ ipse de iisdem rebus gestis noster in sexto *Nanceidis* libro tradidit. Inde patebit nonnulla nostrum ex Christiani commentario hausisse, ad eam saltem poematis partem condendam qua apud Nanceium pugna narratur. Pauca autem exempla proferre satis erit :

---

1. Lætas quoque memorat noster Lotharingorum cantiones post devictum Carolum :

Nanc., VI, v. 855 : Vox ibi psallentum lætissima, multus et oris
Risus. At ante omnes vox est replicatior una,
Atque ducem fugisse, ducem fugisse, ducemque
Fugisse adversum repetit creberrimus odæ
Circulus.

Cf. Huguenin, *op. cit.*, p. 288-289.

Fieri potuit ut et notam haberet Petrus cantilenam qua Caroli cladem ad Moratum Helvetii cecinere.

Cf. Diebold Schilling, *Beschreibung der Burgundischen Kriegen.* Berne, 1743, p. 349, traduit par Michelet, *op. cit.* : « Beaucoup sautaient dans le lac, et pourtant n'avaient pas soif. »

II, v. 254 sq. : .... Ora
Multa bibunt mortem duri sine vulneris ictu,
Atque siti moriente bibunt interque bibendum :
« Mergimur », exclamant, « heu mergimur ! »

2. Cf. p. 17.

Christianus (Renatus loquitur)[1] :

« *Touchant l'ordonnance, Messire Guillaume Harter chevalier estoit*
« *capitaine, et avoit charge de tous les piétons; et le comte Oswalt de*
« *Tierstein estoit capitaine de l'avant garde, avec ledict Messire G. Har-*
« *ter, en laquelle estoient gens de bien.* »

Cf. *Nanc.*, VI, v. 272 sq. :

Ne tamen Hertherum fugiant felicia belli
Principia, huic heros Oswaldus nomine, qui se
Jure Thyerstanum Comitem dominumque probabat,
Adjunctus fuerat, frontem ducturus eamdem.
Præfecto peditum Herthero sq.

Chistianus (p. 61) :

« ..... *et moy* (Renatus) *à la dextre d'eulx avec 800 chevaux de mes*
« *garnisons.* »

Cf. *Nanc.*, VI, v. 331 sq. : ...... Ducis ecce Renati
Cura regit cunctos. Legioni namque pedestri
Bis quadringentos equites adjunxerat ipse.

Christianus (p. 61) :

« *Il n'y avoit aucun chef ni Lieutenant que moy, et estois en la bataille*
« *habillé de gris, blanc et rouge, sur ung cheval grison nommé la Dame,*
« *lequel m'avoit servy à la journée de Morette, et avoy sur mon harnois*
« *une robbe de drap d'or à une manche de drap desdictes couleurs de gris,*
« *blanc et rouge, et une barde aussi couverte de drap d'or, et sur lesdictes*
« *robbes et bardes trois doubles croix blanches.* »

Cf. *Nanc.*, VI, v. 334 sq. :

Arduus hos inter, tanquam rem digerat omnem,
Dux oneri incumbens patriæ et spes unica, dextro
Sederat in cornu, tergo devectus amati
Quadrupedis, dominam dici quem scripsimus, et quem
Morathense probis bellum laudaverat armis.

V. 357. Arma super cujus (*Renati*) pretiosa effulserat ostro
Aurivomo vestis, vestique (ut audio) dexter
Supparus hærebat tricolor consutus, ut inde
Gente ducem a tota color is secerneret ipsum.
Nix ibi flamma cinisque suos posuere colores, sq.

1. P. 60, ed. Cayon.

Christianus (p. 61) :

« *Messire Jean de Baudre portoit l'estendart en ceste bataille, auquel estendart estoit l'Anunciate peinte. . . . . . .* »

P. 62. « *Touchant les Enseignes, j'avois la mienne avec moy, qu'estoit* « *l'Anunciate et les autres comme celles du Duc d'Autriche, de Monsieur* « *de Strasbourg et de Monsieur de Basle, puis celles de chascun Canton* « *des Suisses, à sçavoir, Zurich, Berne, Lugan, Fribourgs, et plusieurs* « *autres bonnes villes de la Ligue.* »

Nanc., VI, v. 386 sq. :

His instructa viris acies postprima potentes
Obtinuit nervos, vexillo ornata beato.
Hoc nam picta aderat virguncula, nuncius ad quam
Aliger inquit ave dia legatus ab aula.
V. 404. Hunc cognomento de Baudra fecerat apta
Signiferum virtus media hac in parte. Sub ipso
Signa alia hic domino turmatim adjuncta Renato
Per gelidas crepitant ventoso flamine nubes.
Hic illustre tui signum ducis Austria necnon
Argentinorum geminum, geminumque refulsit
Basileæ gentis gladiusque hic venit uterque.
Huc Slestatenses, huc et misisse Friburgos
Hucque Columbares sua pro duce signa tenemus,
Rauracosque novo nunc dictos nomine Bernos
Par fecisse liquet. Solturna et Glaris et Ura
Zeucham et Surican secum huc traxere, lacusque
Unde Lacocernam dicas hanc misit ad arma.

Ita signa quædam quæ in enumeratione præterierat Christianus supplevit noster.

Christianus (p. 61) :

« *D'arrière-garde il n'y en avoit point, sinon les huits cens coulevri-* « *niers,* etc. »

Cf. *Nanc.*, VI, v. 426 sq. : Sed ne nulla ducem, sq.

Christianus (p. 63) :

« *Quant est du cor. . . . . . car déjà à Moratte il l'avoit ouy.* »

Cf. *Nanc.*, VI, v. 533 : Terruit hos notum bis cornu.
Ibid., v. 487 : Helveticæ mos est, sq.

Sed jam satis superque demonstratum est ex Christiani libello fructum cepisse Petrum de Blaro Rivo et eum identidem inspexisse ut ad historiæ fidem poema scriberet. Nudi autem breviarii materiam amplificavit, operamque dedit ut jejunam narrationem flosculis distingueret et dicendi coloribus illustraret. Ei præterea nullus ex eo commentario usus fuit in ceteris *Nanceidis* libris, cum ibi ultimum tantum referatur prælium.

Ad summam, paucissima nos docet Petri *Nanceis* quæ non notata reperias in æqualium de iisdem rebus libris, inter quos primum locum obtinere æquum est Annales inscriptos : *La Chronique de Lorraine*[1].

Quidam tamen annotaverunt a Petro solummodo nos accepisse naphtha usos esse Burgundos ad incendendas Nanceii domos.

Nanc., III, v. 242 : At ignigenæ pereunt incendia naphthæ.

Unus quoque noster ludos mimosque commemorat quibus obsidionis tædia fallere solebant Caroli milites :

IV, v. 608 sq. :

Lusus abest etiam. Scænæ quoque palma disertæ,
Pyconius[2] sermone dicax gestumque jocumque
Perdidit atque bipes hic Belgæ simia gentis
Ad risum motura viros nunc omnia deflet.

Etsi ex supradictis probabiliter confici potest in *Nanceide* nihil unquam ementitum esse Petrum, non tamen dissimulandum est eum res gestas quasdam omisisse, sive earum minus gnarus fuit, sive unum et simplex argumentum nimis variare noluit, sive denique timuit, ne, quæ tacenda existimabat locutus, Renati gloriam in posterum minueret.

Primum, cum propositum præsertim haberet tres Nanceii

---

1. Qui editi sunt a *Dom Calmet* (*Histoire de Lorraine,* ed. 1757, t. VII. *Preuves servans à l'histoire de Lorraine,* p. 1 sq.) et iterum anno 1860 (Nancy, Wiener), abbate *Marchal* curante.
2. « Pyconius, picardus, qui est palma scænæ. » Joannis Basini annotatio, ed. 1518.

obsidiones et apud Moratum Jarvillamque pugnas referre, multa neglegenda existimavit quæ rerum scriptor studiose notavisset. Ita vix paucissima verba[1] in *Nanceide* invenias de fortiter gestis a Joanne Vademontiano, Gratiano *d'Aguerre*, Varino *Doron* agricola, Harnexario et tot aliis, quorum audacia Bruyeriæ, Bayon, Lunaris villa et Spinalum recuperata sunt[2]. Silet idem de præclaris facinoribus Waltrini *de Wisse*, *Malhortie* a Rosariis [3], ceterorumque[4] qui, iterum Nanceium obsidente Carolo, Burgundos sine intermissione tumultuariis certaminibus lacessiverunt vexaveruntque. Concedamus vero nostrum timuisse ne sibi præter modum materia cresceret et extra rem evagari noluisse.

Mirabimur potius Petrum de Blaro Rivo, ut quem non tædeat narratiunculas et minuta dicta referre, quædam omisisse quæ ipsius proposito apta sane et accommodata videbantur. Sive enim hæc eum latuere, sive talia parum fide digna arbitratus est, nullam mentionem, exempli causa, fecit ominis hujus quod alii scriptores memoraverunt. Scilicet cum supremam pugnam conserturus armaretur Carolus, forte evenit ut leo aureus qui ejus cassidi apex superpositus erat super ejus ephippium caderet, unde infaustum ita augurium concepit ut statim exclamaret : « Hoc est signum Dei[5]. »

Alias non absimiles res proferre in promptu esset quas ornamentis poeticis non indignas fuisse dixeris.

Quædam vero haud immerito conjicias a Petro consulto prætermissa esse, regressum scilicet Renati Ponte Musione

---

1. *Nanc.*, III, 350 sq. :

> Sed dat opem afflictæ vel saltem nititur urbi
> Egregius patriæ sanguis, qui liber in agris
> Errabat, castris infestus semper et hosti
> Disperso aut jusso procedere frumentatum.

2. Cf. *Chronique de Lorraine*, cap. CLV, CLIX (p. 207 sq., ed. 1860).
3. « Rosières-aux-Salines. »
4. Cf. *Chronique de Lorraine*, CLXXV-CLXXIX, p. 245 sq.
5. « Comme on luy accommodoit son armet, aduint que le Lyon d'or, qu'on « y avoit attaché pour son cimier, tomba sur l'arçon de sa selle, dont il print « un si mauuais augure qu'il dict incontinent : *Hoc est signum Dei.* » (Nicolas Remy, *Discours des choses advenues en Lorraine depuis le decez du duc Nicolas, jusques à celuy du duc René*, p. 126.)

raptim discedentis et Germanorum cito compressam seditionem, quæ nec duci nec ejus sociis decora erant[1]. Tacet pariter Petrus de incendio quo, Christiano teste[2], Sancti Nicolai equilia ducis absumpta et omnes fere equi cremati sunt; tacet de redintegrata Radone (*Raon-l'Étape*) Helvetiorum rebellione[3].

Inter tot varios casus quibus Renati impeditum est iter et tardatus impetus, hunc tantum et verbosius retulit noster (III, 680 sq.), cymbam scilicet unam cum militibus qui vehebantur in transitu Rheni submersam esse, qua opportunitate utitur ut ducis intrepidum animum extollat eumque soli exæquet atras fuganti nubes[4].

Supervacuum esse credo alia recensere quæ Petrus sponte sua missa fecit ne hos aut illos læderet[5], quæ fere omnia levioris momenti haberi possint. Rem tamen unam excipiam magni discriminis a Petro prætermissam, de qua, cum neglecta auctoritatis aliquid narrationi deroget, paulo fusius dicendum est. Tradunt omnes rerum scriptores non mediocri adjumento Lotharingis fuisse notam illam comitis de Campo Basso ante pugnam apud Jarvillam proditionem, qua, etsi hic trecentos admodum equites tantum ex Caroli exercitu subduxit, factum est tamen ut reliquis Burgundis timor quidam et suspiciones injicerentur. Præ-

1. Quæ ita Joannes Aloysius narrat in Renati vita : « Ob quod Carolo in « Lothoringiam movente, Renatus ullis neque ab imperatore neque a rege « suppetiis missis, tumultuario collecto exercitu ei ad Pontem Montionis « instructa acie occurrit. Sed detractante pugnam Carolo, nonnullisque Ger- « manis qui cum eo sentiebant a fide Renati deficientibus, illorum veritus « perfidiam, tribus milibus fortissimorum Helvetiorum suisque equitibus sti- « patus, acie instructa cum omni commeatu et machinis bellicis per conspec- « tum hostium Nanceium sese recepit. »

Cf. ***Chronique ou Dialogue entre Joannes Lud et Chrétien,*** ed. Cayon, p. 29.

2. ***Dialogue entre Joannes Lud et Chrétien,*** p. 32.

3. ***Dialogue,*** etc., p. 32.

4. ***Nanc.,*** III, 742 sq. :

Ingentis princeps animi nil questus ad omnes
Firmus adest casus, fortunæ spretor iniquæ..... sq.
766 sq. Taliter illætum mœstis procedere terris
Sæpe diem constat....... sq.

5. Silet, utpote canonicus, de Legato apostolico Sixti IV qui Burgundis favebat et omnia in Helvetia interturbabat ne ibi milites conscriberet Renatus. (Cf. Joannem Aloysium, ***Renati vita.***)

terea omnes memoria tenent ab eodem Comite Boxerii pontem obstructum et victis fugam interclusam esse. Quare non parvas in Caroli clade ei fuisse partes, ne multos in testimonium citem, Cominius affirmare non dubitat :

Lib. V, cap. VI : *Des grans trahysons du comte de Campobache, et comment il empescha le duc de Bourgongne d'ouïr un gentilhomme qui les luy vouloit reveler, devant qu'estre pendu, et ne tint compte aussi de l'advertissement que luy en donna le Roy.*

« Vous avez ouy comme Dieu en ce monde establit ce comte de Cam-
« pobache commissaire à faire la vengeance de ce cas du Connestable,
« etc.[1] »

Cf. L. V, c. 8 : « Et ce propre jour vint au-devant d'eulx le comte
« de Campobache, achever son entreprinse, et se rendit des leurs, avec
« environ huict vingts hommes d'armes[2], et luy desplaisoit bien que
« pis n'avoit peu faire à son maistre. Ceulx de dedans Nancy estoyent
« bien advertis des traictez dudict Comte qui leur aidoit bien à donner
« cœur de tenir. »

Ibid. « .... et avec ceux-là conclud..... qu'il se tourneroit de
« l'autre, quand viendroit l'heure de la bataille...... afin de donner
« plus grand espoventement à tout l'ost dudict Duc...... [3], etc. »

Cf. Jean Molinet, *Chroniques*, ed. Buchon (1827), t. I, p. 231 :

« Et ainsi fut l'armée du duc Charles diminuée, et la puissance du
« duc Regnier renforcée par la trahison du comte de Campo-Basso, qui
« lui dit la disposition du camp de Nancy, ensemble le povre estat du
« duc Charles et de ses gens, illec estans en grande indigence ; puis se
« tirèrent lui et les siens à Condé, une place séante sur la rivière de
« Moselle, à deulx lieues de Nancy, par où passoient les vivres des Bour-
« goingnons, venans du val de Metz et du pays de Luxembourg. »

Hæc vero omnia Petrus de Blaro Rivo reticuit, quippe qui curæ haberet ut quam maxime uni Renato debellati Caroli adju-

---

1. P. 47. (Ed. de Melle Dupont, *Société de l'Histoire de France*, Renouard, 1843).

2 « Peu après la désertion de Campo-Basso, les sieurs d'Auge et de « Monfort abandonnèrent encore le duc avec cent vingt hommes d'armes. » (Huguenin, *Histoire de la guerre de Lorraine et du siège de Nancy*, p. 260.)

3. Cf. *Chronique de Lorraine*, cap. CXCV, p. 284 sq. ; de Barante, t. II (ed. 1826), p. 145 sq. ; Digot, *Histoire de Lorraine*, t. III, p. 334 sq.

dicaret laudem nec pateretur vel labeculam tantæ victoriæ quadam ex parte cum proditore communicatæ decori adspergere videri. Hæc tantummodo in tota *Nanceide* quæ ad comitem de Campo Basso pertineant invenias :

L. VI, 529 : .. ... Ast pons amni est saxeus, in quo
Clausa fuga est Burgis, hos te, vir clare comesque
De Campobasso gelidas urgente sub undas.

Nec incredibile etiam est, vivo adhuc comite, *Nanceidem* scriptam esse, aut saltem ejus filiis cognatisve nostrum molestum esse noluisse, cum proditorem hoc tantum nomine appellet : *vir clare,* et de ejus perfidia sileat.

Ita, omnibus fere in locis, quæ Renati laudem obscurare posse videbantur scientem volentemque Petrum prætermisisse libenter crediderim[1]. Si dandum igitur est eum quædam in præteritis reliquisse, non ideo jure contendetur non ad fidem historiæ ea quæ retulit fuisse narrata.

Quod autem attinet ad ea quæ de rebus personisque judicia fecit noster, æquum se Petrum existimatorem plerumque præstitisse dici poterit.

Nemo enim infitiabitur libero animo eum de Carolo locutum esse et de eo recte judicavisse. Quum eum agentem aut verba facientem inducit, nullo modo ita affectus videtur ut Burgundorum ducis laudes levare vel occultare velit. Adeo non eum depressit ut contra a quibusdam primas sæpius Carolo in *Nanceide* partes detulisse existimatus sit. Etenim, ipsius argu-

1. Studiose contra idem collegit quæ duci splendorem afferre valeant. Ita firmissime asseverat Renatum ab Helvetiis exercitus ducem electum esse in Moratensi pugna :

Nanc., II, v. 39 sq. : .... Claro quamvis a sanguine abhorrent,
Et linguæ ignarum sed non nisi nomine notum
Præfecere ducem, belli cui pareat omnis
Bellatorum acies Burgum fractura minacem.

Quod rerum scriptores certis freti auctoribus negant.

Cf. A. Digot, *Histoire de Lorraine,* t. III, p. 285 :

« Les historiens lorrains, poussés par le désir de rehausser la gloire de « René II, ont écrit que ce prince avait obtenu le commandement de l'ar- « mée. C'est une erreur. L'avant-garde des confédérés obéissait à Jean de « Hallwyl, chevalier d'une ancienne famille d'Argovie......; le corps de ba- « taille était conduit par Jean Waldemann de Zurich et Guillaume Herter, « etc. ..... René n'avait qu'un commandement subalterne. »

menti vitio potius quam scriptoris culpa, haud raro evenit ut major et splendidior Renato dux Burgundiæ appareat, ut quem rerum gestarum fama commendet illustrentque immensa incepta et hæc ipsa inexplebilis dominandi cupido, dum exsul et supplex alter, quanquam pro jure pugnat, diu tamen non tam admirationem quam misericordiam movere valet. In ultimis demum libris exsurgit Renatus ad heroici carminis dignitatem et, tanto hoste devicto, immortale sibi decus comparat. Haud aliter, « si parva licet componere magnis », in ipsa *Æneide* pio Æneæ tenebras interdum obducit eximia fulgens fortitudine Rutulus.

Si quis tamen in universum *Nanceidem* consideraverit, inveniet omnia Caroli vitia satis insignite describi ut exstare atque eminere videatur vera vividaque ejus effigies. Breviter hic contrahenda sunt quæ per totum poema etiam atque etiam sparsit et pluribus verbis Petrus de Blaro Rivo disseruit. In primis Caroli insatiabilis ambitio sexcenties notatur ejusque acer animus nihil non armis arrogantis et jura nata sibi negantis :

Cf. *Nanc.*, I, v. 222 (loquitur Cæsar Fredericus) :
Impatiens domini nobisque excelsior ipsis,
Induperatorem aut regem non novit, at ambit
Terrarum quidquid sol pronus cingit et altus.

et passim.

In lucem quoque profertur indomita ducis superbia leoni sæpissime vel pavoni comparati :

I, v. 1 sq. : Prælia magnanimum quæ te fregere Leonem
Elatum titulis toto fulgentibus orbe.
V. 412 : Dux ubi rugitum pressit leo.....

et passim.

I, v. 501 sq. : Accessuque omnes dux dedignatus, Olympi
Jam convexa levis terræ et sine pondere calcat.
Sic ego pavonem vidi meminique superbis
Contemplantem oculis sese quando orbe rotatas
Erexit pictæ plumas ad sidera caudæ..... sq. [1]

1. Cf. III, v. 271 sq.

Quoties vero in *Nanceide*, vehementibus sane verbis, exprimitur Caroli fastus in secundis rebus ferocis et avida mente adulationem captantis ! Cf. I, 631 sq. :

Numen adoratur princeps mortale thronoque
Sublimem aurato hunc Burgun statuere diones.
Contextaque auro trabea totusque lapillis
Fulgidus, effugiens qui vinceret omnia solem,
Tunc noctu accensas instabat vincere tædas...
. . . .

Nanc., I, v. 644 : Et trans semet iens, oblitus quid sit, honorem
Majorem humano prægrandi devorat haustu,
Sub sua mortales reliquos vestigia mittens.

Quam arrogantibus conviciis Renato, qui ad bellum eum per præconem provocaverat, respondet !

I, v. 310 : Ad nova me sic provocat arma Renatus,
Sed vix natus adhuc, sed adhuc imberbis egensque
Pusio nutricis nec belli ad pondera firmus [1].... sq.
V. 322 : . . . . Amici
Tecta boni repetas, et vermi dixeris illi
Fœdera rumpentes has me legisse lituras
Non oculis tantum, memori sed pectoris haustu.
Non atramento exspectet nec arundine rebus
Responsum super his ; rubro responsa cruore
Accipiet quæ mox ense et scribemus et hasta.

Quam terribilis ejus exardescit ira, quo sit erupturus hic furor cunctis paventibus et vix audentibus efferatum alloqui !

Cf. II, v. 510 sq. : Cujus ad os durum qua posthac fronte recurrant
Comperiunt nusquam ; rabiem sed quanta leoni
Irato esse solet talem tantamque tremiscunt.
V. 519 sq. : Principe quæ pejor truculento belua, cujus
Pendet ab arbitrio vitas exstinguere verbo
Tam facili ?

1. « Quand (Charles) parloit de René, trop peu de chose l'estimoit comme « s'il fust ung géant et René ung nain. » (Robert Gaguin, *La Mer des Croniques et mirouer hystorial de France*, 1536. L. V, feuillet CC, verso.)

Hoc irarum æstu ferventem Carolum præsertim adspicias in hac III libri parte ubi per summam injuriam damnati Suffronis narratur supplicium. Licet enim ducem impensissimis precibus Burgundi proceres obsecrent et obtestentur ut equiti parcat probi fortisque civis munia executo, manet inconcussus et implacabilis Carolus:

Nanc., III, v. 469 sq. : ... At is scopulo par immotusque marino
Obstat et orantum pia non pius obstruit ora,
Atque sono rursum horrendo crudelia firmat
Juramenta, minasque addit pœnamque precantes
Quæ feriat, sq.

Cf. III, v. 367 sq.

Multis quoque locis ducis invicta et exitiabilis significatur pertinacia. Ut ex infinita exemplorum copia unum eligam, vide quam contumaci oratione Burgundis nobilibus reluctetur hortantibus ut ad tempus Nanceii obsidionem relinquat, vires suas refecturus.

V, v. 724 sq.: « O quibus est odio belli decus omne, etc. »

Cf. V, v. 775 sq. : ..... Nec abest qui flectere curet
Principis in melius mentem. Sed contrait unus
Omnibus, atque mori mavult quam credere vivens.
Qualiter indomiti si quis velit ora caballi
Flectere qua sit iter, non mansuetudine cuiquam
Paret, at infrenus quo mens rapit effera fertur.
Tum stimulos sessor si costis admovet, orbes
Volvitur in curvos quadrupes, vel in aera rectus
Tollitur, et valles levis et juga scindit onusque
Præcipitare suum semetque per invia quærit.
Sic Senonum dominus..... sq.

Rursus autem ad historiæ fidem a nostro Caroli virtutes referuntur, immo, data occasione, effuse laudantur, inter quas in primis egregiam fortitudinem ponas et virilem audaciam. Quæ olim in tot bellis præclare et feliciter Carolus gessit, ipsius contionantis ore enarrat noster (Lib. V, v. 461-619) et quam strenuus fuerit, quantopere dignitati suæ et famæ servierit libenter profitetur:

I, v. 446 sq. : Nec de principibus quos clarior efficit ortus
Terrarum dominos animosior affuit ullus,

Sed neque vel famæ vel laudis amantior, immo
Ante omnes vehemens palmæ quæsitor, ut uri
Magnifici flamma sese monstraret honoris.

Etiam post cladem non animum demittentem Carolum oculis subjicit poeta galloque gallinaceo comparat qui, quanquam victus viribusque defectus, nil nisi novas pugnas et ultionom meditatur:

Nanc., II, v. 789 sq. :
Pervigil auroræ præco rex gallus eodem
More redit, refereus a duro rostra duello
Languida, cum nimium forti devictus athlete
Succubuit squalens barba cristaque cruentus,
Et lacer implumi totum se corpore tristem
Ac lassum ostendens, vento restaurat anhelas
Spirituum vires, et sura claudus utraque
Teste probat semet quam sævum evaserit hostem ;
Nec caudam aut pessum pendentes sustinet alas.
Spe tamen hic validus læsos ulturus honores
Se reparat, sic præsto mori seu vivere bello.

Denique vide quam acer et animosus et alter Achilles in hac suprema apud Jarvillam dimicatione Burgundiæ dux appareat :

VI, v. 519 : Hunc posses dixisse ducem regemque vel ipsum
Gradivum ; nempe is solus, nisi fata vetarent,
Mille viros poterat bello terrere potentes.
Cf. VI, v. 521 sq. ; v. 709 sq.

Exstinctum vero Mars ipse funebri quasi laudatione extollit :

VI, v. 786 sq. : . . . . Tu vitæ finibus exsul,
Fama immortali vivax celebrabere semper.
Nec quia nunc vicit dux te Lothoringus, ob illud
Fortior est, verum longe felicior......

V. 813 sq. : Quod tamen hic dormis obnoxius es mihi, quod te
Nec senium nec te morbus consumpserit. Euge,
Ferre domi mortem mollique incumbere strato
Spectat ad ignavos, animam sed reddere Marti
Sub divo regum est, cælumque accersere testem
Depositæ in campis animæ cæloque volantis.

Misericordia sane motum esse Petrum patet cum sollemnia illa Caroli funera in Divi Georgii æde describit. Flebile enim nescio quid in his versibus inest :

Nanc., VI, v. 1198 sq. :

Hac pius ergo fremit psallentum clamor in æde
Plena hominum, surdo sed apum pars more susurrat,
Flentque faces, cera lacrimas imitante, liquorque
Defluit in tumulum, quærentibus ardua flammis.
Atque pyramidum tinnitibus æra sonoris
Verba loqui credas et dicere : Parce, deorum
Rex pie, parce duci miserans. Nam si qua Renato
Carolus inflixit, veniam dat sponte Renatus.... sq.

In hac Caroli effigie ea desideres quibus corporis habitus et oris lineamenta exprimi possint, cum ducis animum moresque potius quam faciem ac staturam describere noster propositum habuerit. Notaveris tamen, in ea cum leone comparatione, Caroli :

I, v. 273 : . . . . ungues
Immodicos raris cum dentibus[1].....

Venio nunc ad Renatum, cujus, ut par erat, omni laude in *Nanceide* ornantur virtutes, pietas, in adversis constantia, fortitudo, patriæ caritas et erga Lotharingos amor. Quem jam ab initio poematis in causa æquum et bonum habuisse firmissime asseveratur :

I, v. 264 sq. :

. . . . Prior sed quisquis amicum
Mordet, habet solus rumpentem fœdera culpam.
Culpa nec est ejus qui vi vim pellit, et ante
Pressa manus urit jure hoc urtica prementes.

Cf. III, v. 785 : Justitia telis ipsum hunc armante tremendis.

I, v. 356 : Debilis at nemo est quem summi justa Tonantis
Arma tegunt. Fiet fortis qui militat æquus.

---

1. Cf. De Barante, *op. cit.*, t. XI, p. 158 : « ..... deux dents qui lui manquaient, depuis une chute qu'il avait faite; ses ongles qu'il avait la coutume de porter plus longs qu'aucune personne de sa cour..... »

Primum vero *Nanceidis* librum legenti miseratione præsertim dignus videbitur Renatus, ut qui Lotharingia extorris, inops et « supplex in rebus egenis », ubique frustra auxilia quærat et ab astuto Francorum rege deludatur :

Cf. *Nanc.*, I, v. 577 :

Nil agis, o juvenis, solo nunc nomine princeps,
Nil agis armatus; satis est evadere dextras
Tot gladios in te solum et tot tela ferentes.
Dî tibi dormitant omnes nunc, affore presso
Non ausi, cede hinc, olim rediturus abito, sq.

Crescent autem, progrediente poemate, et elucebunt decus et virile ingenium Renati, qui, postquam memorabili apud Moratum victoria inclaruerit, jam prosperiore fortunæ flatu utetur.

II, v. 311 sq. :

Magnifici primum hic Ferrici filius atræ
Improba fortunæ leniri tempora sensit.....

V. 317 : **Deinde aliquid palma hac majus sperare licebat,**
Duxne tibi Lothringe? Opus est exile fugari
Hunc qui Marte tuos cum mœnibus occupat agros,
Ni repetis quæ rapta tenet, ni perdis eumdem.

Cum autem inducitur Renatus, iterum Carolo Nanceium obsidione cingente, in Helvetia redux ut nova colligat auxilia, habes ejus paucis verbis adumbratam effigiem :

III, v. 622 sq. :

Nam Rheni ripas trajectus utrasque Renatus
Magnanimus juvenis primæque virilia barbæ
Signa gerens.....

III, v. 759 sq. : . . . . **Oris eosdem**
Dux virtute levat, tenera qui fronte decorus[1]
Arma amet. Et turpis quem non lascivia mollem
Fecerit, at contra reddant asperrima durum, sq.

Quid dicam de ejus in pugna apud Jarvillam virtute et militari scientia?

---

1. Cf. Michelet : « Ce beau jeune exilé. » (*Louis XI et Charles le Téméraire*, p. 124.)

Cf. *Nanc.*, VI, 331 sq. :

. . . . Ducis ecce Renati
Cura regit cunctos. Legioni namque pedestri
Bis quadringentos equites adjunxerat ipse.
Arduus hos inter, tanquam rem digerat omnem,
Dux oneri incumbens, patriæ et spes unica, sq.

Quem quidem satis ineleganter, credo, et insulse equo suo Dominæ æquiparat Petrus :

VI, v. 353 : Sed dominum qui frena regit pecudisque suæque
Gentis, *equo similem credas.*

Audi quam magnificis verbis æterna victori gloria portendatur :

VI, v. 825 sq. :

Armipotenti igitur venit hac de morte Renato
Gloria, sed soli, crescetque Renatus ab illa,
Et nomen cognoscet Arabs tam grande nigerque
Indus, idem solis cunas tangetque sepulchrum
Æquoreum.

Nec minus eximia ejus pietas extollitur memori mente meritas Deo gratias persolventis, cujus ope tantam adeptus est victoriam :

VI, v. 834 sq. :

Victor at interea princeps, ob munera palmæ
Desuper acceptæ, dulces fautoribus hymnos
Dîs canit atque omnis cælum ferit ore sacerdos,
Templaque thure replet suavem redolentia fumum, sq.

Piget referre quæ addit Petrus, ut qua dux Lotharingiæ erga Deum pietate fuerit significet. Ei enim gratulatur expulsos Lotharingia Judæos, quorum ipse odio flagrabat. (*Nanc.*, VI, v. 1223-1264.) Sed eæ apud omnes fere temporibus illis viguerunt falsæ opiniones.

Denique qua misericordia motus Renatus inimici sui cadaver contemplatus sit et quam amplo munere extulerit[1], quanta

1. Cf. quæ de Rubentisprati sepultura in *Nanceide* traduntur. (VI, 999 sq.)

etiam humanitate Caroli fratrem Antonium consolatione lenire studuerit cum ornatissima laude refert Petrus de Blaro Rivo :

Cf. *Nanc.*, VI, v. 1078 sq. :
Qui (*princeps*) dum te, Carole, victum
Respicit illacrimans : Utinam tibi vivere pace
Composita licuisset ! ait. Tellure tuorum
Contentus poteras dici prædives avorum [1].
V. 1084 : . . . . Ad ista,
Sint mihi di testes, processi bella coactus,
Et cerno invitus tam crudelissima de te
Afferri hic nobis spectacula. . . . sq.

Nonne ex iis et multis aliis, quæ afferri possent, exemplis colligi potest in describendis præcipuis hujus tragœdiæ personis nostrum se satis æquum præstitisse, et quamvis toto pectore Renato faveat, non tamen ab eo depravatam et dehonestatam fuisse Burgundorum ducis effigiem ?

Idem de aliis personis dicere licet quæ in nostri poemate secundas et leves plerumque partes agunt. Quarum quædam vix ex intervallo apparent, ut Ludovicus ille Francorum rex, qui rem totam, ut tradunt rerum scriptores, occulte et per dolum administrabat, opulentæ inhians prædæ, et araneæ similis quæ a media tela remota aliud agere videtur, vigilans tamen et si captura inciderit, ad cursum parata. Hæc, ut alia sæpius usitata similitudine utar, Ludovici cum Carolo contentio, vulpis cum lupo certamen jure potest appellari [2].

1. Cf. De Barante, *op. cit.*, t. XI, p. 159 : « Le duc de Lorraine s'en vint « jeter de l'eau bénite sur le corps du malheureux prince. Il lui prit la main « par-dessous le poêle : Ah ! cher cousin, dit-il, les larmes aux yeux, Dieu « veuille avoir votre âme, vous nous avez fait bien des maux et des dou- « leurs. »

2. « Le vieux poème gaulois, répété sous cent formes, l'amusante épopée « de messire Loup et de maître Renard, voilà ce que le quinzième siècle a « cru revoir dans la sérieuse histoire de Charles le Téméraire et de Louis XI. « C'est pour cet âge comme un long fabliau, sq. » (Michelet, *op. cit.*, Avertissement.)

Jam noster vulpi Renatum, sed leoni Carolum et per derisum quoque caponi comparaverat :

Nanc., III, v. 200 sq. : Mos erat et Burgis, cum de duce verba Renato
Conficerent, ipsum hunc vulpem acclamare fugacem

Jam supra memoratum est Petrum infenso animo erga Ludovicum fuisse, cui crimini dabat quod de Renato detraxisset vel certe ei haud parem meritis gratiam retulisset, immo victorem a victoriæ fructibus omni ope intercludere conatus esset. Francorum igitur regis carpit noster inhumanam duritiam.

Cf. I, v. 597 : . . . . pietas in principe si qua est.

Quæ hic ambigue dicta sunt, alias, urbana adhibita dissimulatione, iterat :

Nanc., IV, v. 1 sq. :

Regis at interea Franci galeata sedebat
Ad Mopsæ ripam legio, quæ pulchra Leoni
Spem dabat, at falsam, quantum vulgaris habebat
Conjectura. *Bono* sua regi arcana relinquo,
Si consanguinei hunc talem novere ducesque.

Sincera autem fide quid de Ludovico sentiat noster aperit in eo *Nanceidis* loco ubi prænuntiat Aureoli[1] supplicium quem capitis olim Ludovicus, indicta causa, damnaturus erat :

VI, v. 290 :

. . . . Quam felix ergo fuisses,
Aureole, ad manes hoc in certamine lapsus !
Transeo crudeli quantas sub principe mortes
Afferat in medium præceps sententia, cujus
Pagina non aliud quam : « sic volo » continet. At si
Audeat iratus regi et clementior illo
Sæpius, hic dicat : « Quod rex vis, nolo satelles. »
O quoties inquit princeps : « Hunc piscibus offer,
Huic caput, huic aures ferro rescinde. » Jubenti,
Non percussori scelus hoc tu justitiamve

Audentemque nihil, sed belli horrore latentem.
At cives contra hæc : « O vestrum a vulpe caponem
Vos nostra servate, hostes ! Vulpecula prædam
Hanc raptura venit. Fugiat suadete caponi.
Qui si non fugiet dux gallinacius. . . . . . .
Res falsum ostendet victumque a vulpe leonem. »

1. Aureolus, *d'Auriole*. — Annotat J. Basinus (ed. 1518) : « Hunc enim de « Renati victoria redeuntem Ludovicus Francorum rex capitis supplicio « plecti imperavit. »

Ascribas. Subita est regum si sanctio, reges
Ad gladiatorum titulos accedere tristor.

Vides quam expresse, creditis vulgi de Ludovico rumoribus, carnifice ipso crudeliorem Regem Francorum ibi effingat noster.

De Frederico imperatore pauca ex *Nanceide* excerpere licet, cui laudem non denegat Petrus, sed vitio vertit tamen quod nimis faciles Judæorum consiliis aures præbuerit:

Nanc., I, v. 414 sq.:

. . . . De Cæsare nulla
Fama fuit nisi sana quidem et virtutis amicta
Omnibus ad verum gemmis et honore coruscans.
Auribus ast ejus gens circumcisa sonabat
Crebrius. Hoc dempto, quis de mortalibus alter
Regibus Augusto se non postponeret isti?

Inter ceteras poematis personas eminet Nanceii Burgundus præfectus Rubenspratum, cui meritas laudes et historiæ consentaneas impertit noster propter ita æque et clementer rectum Nanceium ut ex urbe dedita exeuntem cives lacrimis prosecuti esse dicantur (II, 698 sq.). Cujus in pugna apud Jarvillam occisi ample celebrantur virtutes (*Nanc.*, VI, 955 sq.), et in eo effigiem habes perfecti equitis, cui fortitudo sapientiaque simul contigerunt nec minus justitiæ amor et erga victos placabilis animus.

Nec magis silentio prætereundi sunt acres ac strenui urbis defensores Menelaus ejusque frater Gratianus[1] (IV, 325 sq.)[2], neque fortis ille et audax Mirecurtii incola qui obsessis Renati mandata retulit, summis aditis discriminibus. Ejus vero nomen reticet Petrus, quod tradiderunt Annalium scriptores[3], et hæc tantum ait:

1. *Menaut et Gratien d'Aguerre.*
2. Menelai infausta sors ibi prædicitur.

. . . . Vivet,
Sæva plus latiæ vitet si pocula fraudis.

« Iste Menelaus post Nanceianum bellum a Carolo octavo rege Francorum, « tempore Alexandri papæ Sexti, Ostiam civitatem pro ipso Carolo rege tenuit, « et nautis illac transeuntibus Romamque petentibus tributum imposuit. » (J. Basini annotatio, ed. 1518.)

3. Huic *Thierry* nomen erat.

Nanc., IV, v. 422 :

Notus erit gestis, alias obscurus et atrum
Illustrare larem dignus, si dextra sequatur
Fortuna audentem nec pauca ex urbe merentem [1], sq.

Mitto multa exempla quibus confirmari posset ad historiæ fidem Petrum res narravisse et de personis recte judicium fecisse. Ex iis autem quæ attulimus satis intellegetur ab eo quædam prætermissa quidem, nihil tamen contra veritatem allatum et sine studio de unoquoque sententiam pronuntiatam fuisse.

1. Epici poematis ritu, locus est quoque in *Nanceide* generosis equis quibus vehuntur duces. Rhœbo non impar Domina illa qua insidens Renatus supremam conseruit pugnam. (*Nanc.*, VI, v. 336 sq.)

CAPUT III

QUÆ PETRUS DE BLARO RIVO ORATORIA AUT POETICA ORNAMENTA EXCOGITAVERIT. — DE DEORUM MINISTERIIS IN NANCEIDE.

Etsi « historicum » se ipse noster appellat, non tamen obliviscendum est eum poetæ quoque nomen consectatum esse. Itaque, quanquam rerum gestarum seriem nimis anxie servavisse existimatus est, nihilominus et eventa ordine quodam composuit, quo vividior narratio fieret et ad delectandos lectores aptior, et *Nanceidi* orationes multas intexuit aliaque etiam poetica ornamenta commentus est, quibus expositio nuda distingueretur, denique nonnulla deorum ministeria adhibuit. Inquirendum igitur qua arte poema variare et illustrare noster tentaverit et per singula eundum.

Ea mente *Nanceidem* digessisse et struxisse Petrus videtur ut clarius appareret nimiæ ambitionis justas Carolum dedisse pœnas et ab ipso Deo victoriam Renato paratam esse pro jure et patria pugnanti. Jam ante memoratum est huic tragœdiæ quam circa Nanceii mœnia actam esse dicas, interesse divinam illam νέμεσιν quæ plus quam humana superbia se efferentes impellit, ut præcipiti denique lapsu concidant. Hoc imminere Carolo fatum jam ab initio poematis docemur, multisque per totum opus sententiis monemur esse quasdam rerum vices et omnia quæ excesserunt modum citius tardiusve ruitura. His verbis Carolum increpat noster :

I, v. 697 sq. : . . . . Te mors bella volentem
Evocat et tumulo faciet, non tarda, quietum.

Fata podagroso veniant licet ultima gressu,
Sero mori nunquam speres, qui curris ad horæ
Fatalis punctum, vitam producere fessus.

Cf. III, v. 79 sq.

Certe vis quædam inest iis versibus in quibus Deus ipse inducitur et e cælo quæ Temerarium ducem pœna maneat portendit. Se Carolus æternum Lotharingiæ fore possessorem glorians professus erat.

Nanc., V, v. 620 sq. :

Talia confirmans e cælo verba deorum
Rex deus : Hac, inquit, semper tellure manebis,
Inde recessurus nunquam. Quæcumque rogasti
Sint rata ; possessor fies, possessus et hospes
Perpetuus. Damnosa tui fer præmia voti, sq.

Ex his jam planum fit Petrum ratione dicendi admodum rhetorica usum esse et maxime oratorium opus composuisse. Eum enim eloquentiæ potius quam poesis laudem affectasse testatur tanta orationum, concionum, epistularum copia quibus referta est *Nanceis*. Quid recenseam quoque tot compellationes, prosopopœias, soliloquia, epiphonemata? Satis sit dixisse non minus quam duas et triginta orationes in *Nanceide* reperiri, quarum nonnullæ, minime pressæ et ita redundantes ut fastidium faciant, plus quam dimidiam hujus aut illius libri partem invaserint. Intemperantiorem in ea qualibet eloquentia se ostendisse Petrum nemo erit qui neget. Nusquam vero illa loquendi profluentia molestior fuit quam in his quatuor Caroli contionibus suos adhortantis (Lib. V, v. 30-97 ; 133-325; 462-619; 726-773) et in verbosa frivolaque epistula a Nanceiensibus fame laborantibus Renato missa (L. IV, 28-360). Istiusmodi declamationibus, in quibus rhetoricæ artis putida ornamenta et vana pigmenta facile deprehendas, quoties impedita langueat narratio quis est qui non primo statim adspectu videat? Nec tamen omnino nostrum vituperandum existimaverim, utpote qui veteres rerum scriptores imitandos sibi proposuerit, orationibus poemati suo insertis. Quibus sæpius haud infeliciter usus est ut personarum, quas loquentes inducit, animum vividius pingeret. Carolo præ-

sertim ipsius ingenio satis accommodatas contiones affinxit, e quibus totus eminet dux superbia tumens et irarum fluctuans æstu. Utinam ei saltem contigisset breviloquentia!

Defendi quoque potest eas contiones a Petro nonnunquam adhibitas esse ut nos rerum ante gestarum certiores faceret. Ita fere omnia Caroli prælia et oppugnationes in ipsius oratione recensentur (L. V, v. 498-604); in hac autem a Marte habita funebri laudatione memorantur et homicidium a Joanne, Burgundorum duce, ad portam Barbetam patratum, et ipsius ducis in Yonæ ponte cædes. (L. VI, v. 759-764.) Denique fit ut ex iis orationibus, non aliter quam apud Sallustium Liviumque, depromenda sint Petri de narratis rebus judicia. Duo tantum exempla afferam. In oratione Helvetiorum ad Renatum oblique Lotharingorum patrocinium suscipitur qui, vi coacti, Caroli se dediderunt, quanquam in eorum corde vivebat Renati amor. (L. II, v. 332 sq.) Audi autem quam moderatis consiliis Burgundorum nobilium ore Carolum monere videatur noster ut Nanceii obsidionem relinquat. Quot jam cæsi milites! Quot absumpti nummi! Quousque effrenata se jactabit ambitio!

Nanc., V, v. 657 :

Quot cecidere tuæ, dux, o quot millia gentis,
Cujus nec numerum curas, nec mortua quæris
Nomina? Substitues occisis corpora, dices,
Viva, suo matres parient pro principe fetus,
E quibus apta colo pars, mascula serviet ensi,
Pars melior. Talis duræ est sententia frontis.
Esto, velint leges regem defendier omni
A populo, negat hoc tibi nunc exhausta tuarum
Terrarum virtus. Namque optima sanguine pubes
Jam periit fuso, ferrique absumpta rigore est.
. . . . A civibus aurum
Sæpius exactis frustra exspectaveris ullum, sq.

Nonne eadem olim erit Galliæ querela civibus exhaustæ et gloria satiatæ a recentiore illo præstantissimi ingenii Temerario[1]?

1. Ne ab re alienum videatur hic cum Carolo Napoleonem I comparari, memorandum est jam anno MDCCCXIV hanc collationem oblique inductam

In iis quoque orationibus plerumque reperiuntur sententiæ quibus totum scatet opus. Quas vero nunc ex veterum libris desumptas dixeris, nunc aut presbyteri aut jurisperiti esse. Supervacuum arbitror multa exempla proferre, cum quamlibet *Nanceidis* paginam legenti occurrat aliquid sententiose dictum. Quot inde præcepta et effata excerpere liceret, quæ sana magis sunt quam novitate quadam conspicua! Pauca hæc sine ullo delectu subjiciam :

Nanc., I, v. 159 : . . . . Nec orbi est
Longus amicitiæ nec pacis tenor.....

II, v. 714 : .... Frons tegetes habitat lætissima. Regum
Grandia sed turgent horrore palatia vasto.
Dura ducum sors est.

V, v. 131 : Quam metuat rem credit nemo libenter.

I, v. 642 : Nobilibus commune viris est gloria virus
Vanæ et laudis odor.

Quædam vero ejusmodi sunt sententiæ ut in iis presbyterum agnoscas. Nunc enim summam Dei potentiam clementiamque commemorat ; nunc immortales esse animas nos admonet, et ipsa corpora ad vitam reditura :

VI, v. 1150 :
Nec morimur. Latitant ad tempus corpora, rursum
Se visura tubæque exauditura supremum
Clangorem, et vivent quæ mortua fingimus ossa.

Conjicias quoque ex alio loco nostrum, utpote sacerdotem, excusationem quodam modo pugnis iis prætendere quas canendi provinciam suscepit. Non est enim infitiandum eum prælia nonnunquam atrociter narrare et fero gaudio exsultare hostium cædem dum copiose refert. (Cf. *Nanc.*, III, v. 211 sq.) Verum pacem ante omnia Petro cordi esse quis miretur? Effusis sane

---

esse a *R. C. Guilbert de Pixérécourt*. Qui præsentia vetustis malis haud dubie assimilans, devicto imperatori allusit in hac fabula : *Charles le Téméraire ou le Siège de Nancy,* mélodrame historique en prose et à grand spectacle, représenté pour la première fois à Paris sur le Théâtre de la Gaîté, le 26 octobre 1814. (Paris, Barba. 1814.)

laudibus sancta togæ otia (v. 335) prædicat. Pacem ita compellat :

Nanc., III, v. 287 :

O bona pax, cælo dea crederis. Attamen aras
Orbe tuas toto pauci venerantur, et inde
Nos fugis. Hinc raro quadrant mortalia secum
Pectora, thure tuum nullo placantia numen.
Ergo a membranis ad lamnas jura potente
Sunt translata manu. Et qui viribus anteit, ille
Jure valet meliore, licet prætoria sanctæ
Astreæ hoc nolint : sibi lex qui vicerit esto.
Ut sua pacifico res tuta sit, utque repulset
Vim probus illatam natura indixit amatrix
Justitiæ. Hæc avibus lex est, pecorique deisque.

Audis ibi jurisperitum chartarum et fœderum reverentem, quæ sæpius discindit gladius, et negantis ullam belli justam esse causam, nisi quis illatam vim vi repellere cogatur et pro aris focisque pugnare.

Immo in ipso illo cruento certaminum æstu, decus et modum et pietatem clementiamque servari oportere non semel affirmat Petrus. Hæc sunt enim officia equitis sacræ militiæ addicti, quæ satis commode his versibus definiti sunt. (*Nanc.*, VI, v. 70 sq.) Narrat noster quomodo, antequam suprema apud Jarvillam consereretur pugna, nonnulli a Renato sacræ militiæ munere donati fuerint :

. . . . Ensibus icta
Colla, velut mos est, referunt sine vulnere nomen
Militis ac fasces quos ordo expromit equester.
Neve putes equitum hunc ritum sine pondere sanctæ
Relligionis. Habent jurati vota, suisque
Suscipiunt dextris sanctorum templa deorum
Defendenda omni semper virtute viaque.
Pupillis et idem debent et matribus horum
Flentibus heu vidui, nullo solante gementes,
Damna tori, debent et cunctis semet iniquo
Oppressis gladio, non oppressoribus unquam.
Hæc sunt arma quibus generosi vimque decusque

Militis agnoscas, sine quis hoc judico nomen
Quale est fur, raptor, quale est homicida, sonatque
Sacrilegus, flammæ et populanda ad tecta minister.
Sola facit claros virtus, nec levia curat
Arma, nec ad cristas, nec ad ornamenta retorquet
Hæc oculos, proprio atque suo est contenta nitore.

Ita, ne multus in exemplis sim, Petrus epicæ narrationi sæpissime, consuetudinem sæculi sui secutus, moralia quædam inseruit, et sententiis totum opus illuminare conatus est, immodice quidem pro temporis nostri ratione, parcius tamen quam plerique ipsius ætatis scriptores. Quæ enim nobis fastidio sunt, eadem apud Petri æquales maximas laudes meruisse monet nos Desiderii Boussardi ad J. Basinum epistula, qua librum illum extollit, « fontibus Heliconiis irrigatum », utpote qui « sententiarum gravitate exuberet, variisque comparationibus sit phaleratus. »

Quas autem prædicat Boussardus nostri similitudines jam supra laudatæ sunt. Ejusmodi ornamentis delectatum esse Petrum apparet, cum carmen totum redundet comparationibus, plerumque ad speciem veterum effictis. Quædam tamen fusius explicatæ varios quasi præbent excursus, quibus ex pugnis et obsidionibus recreetur legentis animus et reficiatur. Nonnullæ ex venatione desumptæ sunt, cujus studiosum fuisse Petrum traditum est. Liceat primum hanc similitudinem proferre non ita inelegantibus versibus expressam, qua Nanceium acriter obsessum sed intra mœnia securum oppugnantesque despiciens cum erinaceo comparatur:

Nanc., III, v. 585 sq. :

Sic aliquis medio tutum venator in arvo
Spectat herinacium, quando spinosus ab omni
Ore canum sese parvum defendit et unum.
Ipse hostes contra multos immobilis, armans
Cuspide se plus quam decies centuplice, pellem
Spinigeram objectat, plenum curvatus in orbem,
Et totidem telis circumdatur undique scabra
Quot cute fert villos protectus membra caputque ;
Nec nisi vulnificas acies defensor acusque

Hostibus exponit, qui, quamvis præda gulosos
Invitet latitans, metuentes naribus ora
Hinc retrahunt. Quis sola putat sibi vulnera lucro?
Prospicit ergo canum turba hæc sibi, et inde reverti
Consilium est, ringuntque procul, latrantque remissis
Inter crura metu caudis, lusique recedunt.

Hanc quoque similitudinem excipiam ab aucupio translatam, cui venationis generi libentissime nostrum indulsisse apparet. In nive et cæno inhærescens Caroli equus passeri comparatur qui visco illigatus est :

Nanc., VI, v. 698 :

Sic in viscato passerculus arbore visus
Est mihi, cum redimi tentat, contendere captus;
Quo magis hic pugnat plumas absolvere, crasso
Hoc magis intricat se visco et rostra pedesque
Implicat, elususque opera cruciatur inani.

Jam ineunte primo libro planum facit noster quantopere hoc venationis genere delectatus sit :

I, v. 76 sq. :

Tum ruit aligerum visco genus omne tenaci.
Aut laqueis patriæ aut scrobibus......
Et fisso artantur baculo levis alitis ungues,
Juncturam dum fune capit fissura restricto,
Cum vir in insidiis tempus clam riserit aptum,
Tectus aves inter, quas in se provocat astans
Noctuola et cujus vocem mentitur opertus
Frondibus in specula prædo qui sibilat illa, sq.

Ceterum, notatione dignum est feras prope omnes pecudesque quas alit Lotharingia, non omissis piscibus, aliquem locum in *Nanceide* obtinuisse, et in eis describendis sæpius operam posuisse Petrum. Pauca hic exempla afferentur : I, 40, ursus; I, 69, castor; I, 72, aper; 73, cervus; II, 245, mergus; III, 209; IV, 561, etc., lupus; V, 287, lepus; VI, 181, aquila, etc. Inde vividas interdum refert imagines quæ veritatem imitantur, cum ipse sæpe se quæ depingit vidisse nos moneat. (Cf. I, 504; II, 245; VI, 698.)

Non injucundus sane locus quo falconis contra ardeam singulare certamen oculis subjicitur :

Nanc., V, v. 192 :

Nam bello accingens generosus in aera sese
Dum volat, occurset longo licet ardea rostro
Et collo ac pedibus grandis, tenuissimus altam
Altior invadit; bellum gerit ardea contra,
Et rostri jaculo se protegit aspera. Miles
Aliger atque audax nil ad rem computat artus
Ingentes majoris avis longa arma gerentis,
Sed sibi confidens nec bello inglorius, auras
Circuit et supplent pedibus pendentia motis
Æra tubæ sonitum, quo cordi audacia crescit.
Nec prius aeriis revolat venator ab armis
Penniger ac victor fiat, curvisque rapinam
Unguibus implicitam crebro rotet orbe cadentem;
Quam super incumbens sequitur, prædæque cruentus
Sanguine, calcat humi tam *longum cruribus* hostem,
Tam longum rostro, longum cervicibus, alis.

Cuilibet postremos hos legenti versus succurret illud Fontani nostri :

Le Héron, l. VII, f. 4 :

Un jour, sur ses longs pieds, allait je ne sais où
Le héron au long bec emmanché d'un long cou.

Nec ibi tantum Petro contigit ut quosdam illius fabularum supra imitationem positi scriptoris versus quasi balbutiendo prior emisisse videretur.

Quercus et Harundinis memoriam revocat hæc similitudo :

I, v. 588 : Ut solet afflatu stridens transcurrere silvam
Fagineam Boreas, humiles nec lædere fagos,
Sed flecti ignaras.....

Jam prope adumbratam fabulam in his versibus habes :

V, v. 15 sq. :

. . . . . Sic sæpe lupum, cum captus ovile
Incidit in clausum, tristem mitemque videmus,

Qui tunc inter oves etsi jejunus ab isdem
Non custoditis pius abstinet, *ulla luporum*
Si pietas, oculoque pecus clemente salutat,
Et de pace loqui vellet, vicinia si non
Illum tota furens jaculis saxisque necaret
Insidiis plenum stragemque et furta volentem.
Auctores læsura suos heu culpa resumit.

Cf. Fontani L. X, fab. VI :

Un loup rempli d'humanité
(*S'il en est de tels dans le monde*).

Libenter igitur contenderim in iis nostri descriptionibus præsertim nitorem poeticum elucere, etsi ibi etiam haud pauca jure possint corripi. Multa alia in promptu esset afferre exempla, cum ejusmodi locis totum poema exuberet, in primis felis repugnantis vividam picturam, quanquam huic minime tum locus erat :

Nanc., IV, v. 235 :

Inde cruenta ferens spinosæ vellera barbæ,
Contracto in gibbum tergo, se vibrat in omnes
Hispidus, et caudæ motu denuntiat iram.
Tum sua raucidulo depromens gutture verba,
Indomitus plagis, vitam inter vulnera fundit.

Adde versus ubi transvolantes stellæ (III, 151, sq.) oculis subjiciuntur (VI, 1088, sq.) et plurimas descriptiones duobus aut tribus versibus inclusas, quibus apparet nostrum veritatem quamdam in exprimenda rerum natura attulisse. (Cf. I, 163, sq.; II, 131 sq., etc.)

Paucissimas vero regionum vel urbium descriptiones in *Nanceide* invenias, excepto tamen satis amplo illo et læto primi libri loco, ubi Lotharingiæ urbes, situs, animalia, fruges pinguntur et enumerantur :

I, v. 36 sq. : . . . . Cælo hæc terra benigno
Subjacet imprimis. Et dulces humida rivos
Excipit, incolumem mortalibus aera spirans,
Quo fit ut irriguas fecundet pascua valles

Ad pecoris pastum, surgantque armenta gregesque
Lanigeri, vestire homines et pascere sueti [1], sq.

Quæ autem recentioribus poetis copiosam præbuisset materiam Alpium descriptio, hanc noster raptim et exiliter adumbrasse vix dici potest :

Nanc., II, v. 1 sq. :
Egregius bellis, terra et jam notus in omni
Proxima Sabaudæ tenet Helvetus oppida terræ, sq.

Nec multo uberius de urbe cujus incola erat locutus est. (*Nanc.*, V, 380 sq.)

Quæ de descriptionibus jam paucis absolvimus, eadem de nostri narrationibus dici possunt, quibus vis inest quædam, iis præsertim quæ prælia vel obsidiones referunt. Bellicum canit interdum Petrus et quasi fervidiore impetu rapi videtur. Sed ibi quoque ei deest modus, nec satis diligenter despexit quæ amare, quæ spernere exspectati carminis auctorem deceret. Omnia profusa sæpius et indigesta, seria illepidis jocis intermixta, multa usque ad ultimum tumorem perducta, ut Lucani æmulum facile agnoscas, multa rursus sordida et humi repentia. Cum plura in promptu esset exempla hic collocare, satis erit apud Moratum pugnæ narrationem memorare (*Nanc.*, II, v. 75-302), qua peculiariter Petri in narrando et virtutes et vitia illustrantur. Libet potius paulisper in alio narrationis genere commorari, quod, quanquam rarius in gravi et epico poemati occurrit, canonici nostri tamen ingenio, ut credere licet, magis fuit accommodatum. De ea dico quæ rem ridiculam vel ex cotidiana vita expressam effingit. In ejusmodi enim locis ingenua quædam invenitur et faceta simplicitas, cum jam comœdiæ propius fiat epos et legentium animos relaxare non dedignetur. Mitto versus quibus breviter sed urbane pingitur præconis fuga trepidantis postquam Carolum Renati nomine ad certamen provocavit (*Nanc.*, I, v. 329-341 [2]), et eos quibus salse narratur quomodo

1. Cf. eamdem Lotharingiæ descriptionem apud *d'Haussonville*. (*Histoire de la réunion de la Lorraine à la France,* 1854. Michel Lévy, t. I, p. 5-6.)
2. Cf. *Chronique de Lorraine,* cap. CXV.

Epiphaniæ festam diem tota in lætitiam effusa urbs Nanceium celebraverit, ab obsidionis angustiis et fame tandem liberata. (*Nanc.,* VI, 870 sq.) Priores enim in hoc genere deferam huic satis amplo IV libri loco, in quo singillatim et ordine Petrus exposuit qua fortitudine et quam felici astutia Renati nuntius Theodoricus per densum Caroli exercitum in Nanceii mœnia se insinuaverit. Scilicet ille, pauperis lignarii cultum indutus, postquam ramos decisos in fascem collegit et humeris aptavit, silva egressus, Burgundorum castra subit, libenter a militibus exceptus quos hiems mordet aspera. (*Nanc.,* IV, v. 441 sq.)

Fingit autem callidus nuntius se hanc fascem Anglis ferre quibus præsumptis arris obligatur :

V, v. 460 sq. :

« Hanc vestrum est turbare viam si vultis. At este
Ad mea fautores, oro, promissa, fidemque
Ne temerasse meam videar, facitote rogati.
Pauper ego rerum, fidei sum dives, eroque
Vita quoad nostris spirabit naribus auras.
Nec mihi nec cuiquam est Anglam deludere gentem
Securum ; sociis, si non mihi, parcite vestris.
Servio nunc illis, mox vobis ; pauper id ævi
Quod superest sudore traho communis ad omnes.
Nec mihi jam noceat mea quod me incompta revelat
Lingua virum indigenam. Me fecit terra Lothringæ
De numero gentis. Variat Fortuna creatum
Ceu placet. Omnis homo fiam, si jusserit illa.
Me puto vestratem, vestro hæc si terra regatur
Nomine. Sum cujus sequitur victoria dextram.
Nullam in principibus spem pono, tributa daturus
Sub quocumque ducum, nil accepturus ab isdem.
Lanea me famulum textrina enutriit ante
Prælia, durius at vivens cum tempore mutor.
Sed seu pacis erunt seu belli tempora, semper
Sola vivo manu, miser et pannosus, et omnes
Infra homines, juxtaque mihi sim vester an ejus
Qui fugit, atque utinam fugiat, dum bella quiescant,
Ereptura mihi nil tressi et mortis amanti. »
Hæc ait, et fictam rumpunt suspiria vocem.

Forsan unum aut alterum ex his versibus legenti veniet in mentem lignarii illius quem Fontanus noster inducit :

L. I, f. 16 (*La Mort et le Bûcheron*):

Il met bas son fagot, il songe à son malheur.
. . . .
En est-il un plus pauvre en la machine ronde?
Il appelle la Mort.

Cf. ..... Miser et pannosus......
..... et mortis amanti.

Cf. etiam:

..... tributa daturus
Sub quocumque ducum.

L. VI, f. 8[1] (*Le Vieillard et l'Ane*) :

Eh! que m'importe donc, dit l'âne, à qui je sois?
. . . .
Me fera-t-on porter double bât, double charge?

Simplici igitur vultu bestia creditus Theodoricus, postquam castra trajecit et Anglis fascem suam facile vendidit, mœnibus pedetentim propinquat, dum se obsidionis novitate captum fingit. Quem frustra audire consulto nolentem monent Angli milites ut ab omni parte volantes sagittas caveat :

V. 536. Ille sagittarum miratur ab urbe volantum
Rostra tot et spissum findentes aera pennas,
Et veluti rerum captus novitate, vir astat
Admirator, et has laudat fallaciter, harum
Laudat et artificem, ferrum nunc laudat et alas,
Qua miratur item desumptum est arbore lignum,
Viliaque aut saltem visu communia laudat,
Tempus et inde terit vanum non vanus. At ipsis
Mœnibus accedit, notumque in margine fossæ
Se locat, obrepens manibus crurumque labore;
Atque dato muri custodibus antea signo,
Se jacit in fossas præceps nomenque Renati
Clamat, opemque vocans; mox exauditus in urbem
Excipitur fidus, perprudens, præpes, ituque
Ac reditu.

1. Cf. *Phædr.*, I, 15.

His perlectis, nemo erit, ut arbitror, qui neget festiva quadam ingenuitate commendari hanc narrationem, licet nonnulla ibi claudicent.

Ejusmodi ornamentis opus suum variare et decorare Petrus enisus est, ne nimis nuda et strigosa rerum gestarum expositio ad exiliter scriptos Annales propius videretur quam ad epicum carmen accedere. Sed cum hoc in primis inter historiam et epos intersit quod in heroico carmine divina humanis, veris fabulosa remiscentur, restat ut inspiciamus quomodo deorum ministeria *Nanceidi* suæ Petrus de Blaro Rivo adhibuerit. Res ei sane in magnam incurrebat difficultatem, cum recentes pugnæ canendæ essent, quibus ii ipsi interfuerant qui *Nanceidem* erant lecturi. Itaque verisimile est nostrum dubitavisse utrum miracula fictaque poemati suo insereret, an rerum scriptoris tantum munere fungeretur. In hoc quoque eum hæsisse parumper credam utrum ad Christianam fidem divina ministeria tantum componeret, an ad eas fabulas confugeret quas Græca Romanaque commenta est vetustas. Hoc denique animo constituisse Petrus videtur ut, pro epici poematis condicione, deis locum in *Nanceide* sua daret, sed parcius tamen ejusmodi ornamentis uteretur, quæ cum ex Christiana religione tum ex antiquorum vatum poeticis mendaciis hausta proferret.

Primæ vero, quod facere presbyterum decebat, partes in his eventis Christianorum Deo tribuuntur, sed ita tamen ut haud sæpius et quasi e longinquo, velis quibusdam obtentis, appareat. Qui plerumque non definitis aut certis verbis designatur (numina, I, 591 ; cælum, I, 595 ; II, 297, etc.), sed interdum clarius se indicat, cum ipsum audimus prænuntiantem jam imminere Carolo immoderatæ ambitionis pœnam :

IV, v. 725 : Non audita duci nec formidata loquentis
Tanta dei vox est, surdas tamen obruet aures
Vocis atrox lapsæ pondus per nubila jactum.

Cælum Renatus prælium initurus invocat (VI, 49) ; cælo grates agit post victoriam quam ei peperere Jesus « intactæ « Virginis infans » (VI, 635) ipsaque Maria « diva... pia fronte « favens » (I, 156), « alma deo quæ præbuit ubera nato » (VI,

910). Agnoverat enim Renatus apud Moratum pium cælestis reginæ numen (II, v. 313), cujus apud Jarvillam rursus victricia vexilla Lotharingos ad pugnam duxerunt (VI, 386 sq.; 1250).

Sed in *Nanceide* nisi efficaciora, magis conspicua tamen deprehenduntur Sanctorum ministeria, quos sæpissime deos Petrus appellat :

I, v. 156 : . . . . oblite deorum
Muneribus.

I, 580, Di tibi dormitant omnes; I. 582, contra pugnare deos; III, 19, dis immortalibus; III, 641, dis fretus justis; IV, 600, dis hoc cernentibus æquis, etc. Ecce Lotharingos defendit gentis propugnator et patronus oppidique cælestis Argus (IV, 292), sanctus Aper; huic enim et sancto Georgio[1] (cujus siletur nomen) Nanceii tutelam commisit Omnipotens.

Nanc., IV, v. 283 :
Sed deus atque suis sunt propugnacula muris
Indigetes patriæ, sua nunc ob templa dolentes
Arceri flammis et in ædibus horrida sacris
Nunc pro sacrifico suffiri sulphura thure.
Inde sacrum cives Aprum sensere patronum
Tutoremque loci, qui muro insomnis et urbi
Excubitor credi meritissimus affuit usquam.
Sanctus oves pastor sic has tutatur.....

Piget addere quam illepida cavillatione sanctus ille urbis patronus divus aper fiat qui mortali leoni sidereos dentes objectat (IV, 294-295).

Hujus autem ope Theodoricus Burgundionum castra trajicit. (IV, 432-433.) Hujus, post liberatam urbem ab obsidione, thure altaria redolent :

IV, v. 838 : ...Sua divus aper, gentis patronus et urbis,
Ornari et crebris fulgere altaria ceris
Fronte videt læta, nec Apro superasse Leonem
Exiguo est decori, tantum et gessisse duellum.

1. Hos vocat quoque Petrus deos patriæ, III, 141; superos, III, 143; fautores deos, VI, 835-836.

A Burgundis contra stat sanctus Andreas (III, 465), cujus crux refulget in vexillis Caroli picta. Non tamen ipsum Andream poeta cum divis Renati patronis composuit, ut apud Homerum deos, in duas factiones scissos, atrocia conserentes prælia videre est. Quanquam ex his versibus suspicari licet certamen quoddam miscere hinc Lotharingorum, illinc Burgundionum cælestes custodes :

Nanc., III, v. 744 sq. :

Renatus. . . . .
Dis bene confidit, quanquam e cælestibus illum
Suspectum metuit, quem pro tutore vocandum
Omnibus insurgens bellis Burgundio præfert.
Sic divum atque hominum dux sustinet arma Renatus.

Postquam autem Deus Caroli superbiæ obiratus eum dereliquit, Andreas ipse Burgundiones deseruisse nuntiatur et jam fata viam invenient :

VI, v. 983 sq. :

Cuncta Renatus habet pro se nunc numina, nobis
Dormit et Andreas, spes olim nostra bonusque
Tutor, at infensis nostris nunc abstinet armis,
Et nostris insons culpis pia summovet ora.

Alii quoque Sancti obiter nominantur, Genovefa, quæ Lutetiam tutatur (V, 585), et invictus ille pagi de suo nomine dicti patronus, toti acceptissimus Lotharingiæ, sanctus Nicolaus :

VI, v. 25 :

Non habet is (*pagus*) murum. Solo defenditur hujus
Pontificis digito, quem si violaverit hostis
Sacrilegus quisquam, longos non riserit annos......

V. 34 : Is Patheræ civis, Mirrheæ præsul et urbis,
Nunc terræ est hujus custos, nunc hostibus hostis,
Accepto insignem reddens pro vulnere mulctam, sq.

Ex iis et aliis quæ prætermittimus exemplis colligere licet, in *Nanceide,* etsi ibi Deum et Sanctos habere ministeria non infitiandum sit, plerumque tamen oculis miracula non percipi

posse. In cælo enim geruntur omnia, et invisa quanquam præsentia homines re tantum et effectu sentiunt numina.

Jure quidem mirari possumus nusquam a nostro proferri dæmonas istos, quos maxime agentes conspicias in iis poematibus ubi christianæ fidei mysteria fabulosis ornamentis non repugnant. Satan etenim, Astaroth, Belzebuth, Lucifer, tot alii quos Vida, Miltoque et *Martyrum* scriptor, ne omnes percenseam et eos præcipue quibus acerrimum Bolæus indixit bellum, adversus cælum rebellantes depinxerunt, ab opere Petri prorsus absunt. Angelorum autem vix raram et ambiguam mentionem factam reperias.

Cf. IV, v. 386 : . . . . sed odoram *numina* nubem (thuris)
Calle trahunt recto.
V, v. 181 : . . . Sine carne deos.

Nunc vero, quoniam nostro in eodem carmine hinc Mariam Virginem et sanctum Aprum, inde Martem et Venerem includere libuit, quam personam Græciæ Romæque dii in *Nanceide* agant inquirendum. De cunctis fere fabulosis numinibus dicere licet, ea segnia et desidiosa apud nostrum rebus gestis interesse. Multa solummodo nominantur ab eo, utpote qui Latinorum carminum se non ignarum ostendere voluerit et pervulgata usurpaverit ornamenta. Ita, exordiens, heroici poematis ritu, Musas invocat :

I, v. 3 : . . . . gestam
Rem renovet Clio Pegaseis cincta Camenis.
Cf. VI, v. 1284 : . . . . . Clio Parnassia.

Multa fabulosa commemorantur numina: Mars, I, 21, 153, 185, 250; II, 117, 295, etc.; Mavors, IV, 343; III, 23, etc.; Juno, I, 513; Jupiter, III, 299; VI, 260, etc.; Pluto, III, 105; Neptunus, III, 223; Vulcanus, III, 124; IV, 121; Minerva, III, 167; Cupido, III, 65; Venus, IV, 262; V, 171; VI, 193, etc.; Titan, VI, 884; Thetis, III, 124; VI, 884; Liber, V, 166; VI, 877; Ceres, IV, 111, etc.

Nec minus sæpe occurrunt semidei, heroes, fabulosaque portenta :

Acteon, I, 73; Æolus, V, 174; Allecto, V, 725; VI, 264;

Furiæ Erebi, V, 299; Erinnys, I, 161; VI, 748; Tisiphone, III, 322; Astræa, III, 294; Cyclopes, III, 105; Centauri, VI, 598; Fama, V, 2; V, 431; Jason, III, 315; Janus, V, 422; Helle, Europa, IV, 127; Lethe, V, 37; Medusa, VI, 603; Narcissus et Echo, III, 98; Parcæ, V, 711; VI, 742; Pirrha, VI, 745; Semele, V, 172; Titanes, III, 298, etc.[1].

His Fortunam adjicias, quæ victum Carolum derisura inducitur:

Nanc., VI, v. 696 :

Hic miserum risura ducem Fortuna cruentis
Applausit manibus, tunc et crudelis ad illud
Corpus equo pressum frontis mentisque lucernas
Terribiles figens, re se solatur atroci,
Huncque ferox sannat, quem milite cernit ab omni
Semotum et totis desertum ridet amicis.

Cf. II, v. 485 : **Fortuna super hæc nasum crispante maligna.**

Sic per ἀλληγορίαν infensus Caroli genius significatur.

Duo tantum numina paulo diligentius rebus intersunt, Mars in primis, cujus provincia censeri potest hujus poematis materia in pugnis et obsidionibus tota versata. Sævit ille in cruentis certaminibus, ubi « membra volant.... Marti ludibria torvo ». (II, 88; cf. II, 117.) Nec mirum dilectissimum ei diu bellatorem Carolum fuisse, cujus natalitium sidere suo influxit. (V, 47, sq.) Sed eum novissime contra Burgundorum ducem accendit Venus, levibus sane de causis et pueriliter excogitatis. Carolus scilicet, cum audivisset Sancti Nicolai pontem die Veneri dicata a Lotharingis occupatum esse, juraverat se nunquam postea hanc diem veneraturum :

VI, v. 195 sq. : . . . **Venus hoc spretu est offensa suumque**
Mavortem irritat blasphemum adversus et infit :
« Nulla superba dies Veneris, mihi credo, colenda,

---

1. De Titanibus, quos alias Gigantes orchicolas (I, 149) appellavit Petrus, notatione non indignum erit nostrum hanc fabulam ab antiquis Græcis ex sacra historia desumptam esse contendere :

Nanc., III, v. 298 : **Et vetus historiam confinxit fabula sanctam**
De Jove, sacrilegos qui fulminis igne gigantes
Torruerit, tunc cum pro scalis montibus usum est.

Nulla tibi superest. Veneris tibi dico supremam
Hanc lucere diem. Nec enim celebranda redibit
Lux pro me prius ac mortis teneare tenebris. »

Nihil certe insulsius, nihil magis arcessitum dicas.

Hoc etenim peculiare miraculorum genus assumpsisse Petrus videtur quo et dies et menses et anni duodecim signa, quasi animata, insolitum in modum rebus gestis admiscerentur.

Postquam autem interemptus est Carolus et in gelido Virilethi stagno jacuit, e cælo tanti ducis occasum contemplatus Mavors eum longa oratione alloquitur (VI, 725-830) defletque alumni sui acerbam sortem qui cruoris fluminibus Europam inundaverat. Cum nunc paci cedendum sit, hoc saltem a Mavorte præmium dux feret quod famæ nomen immortale inseruerit. Hujus vero funebris laudationis nonnullos versus jam supra laudavimus.

Pauca etiam dicenda sunt de diebus mensibusque et anni signis quibus per ἀλληγορίαν Petrus humanos induit sensus. Hinc mirum in modum metuunt et cupiunt, dolent gaudentque.

Cum etenim in Januario mense victoria potiturus sit Renatus, Janum haud parvum momentum in Caroli clade habuisse commentus est noster.

V, v. 422 sq. : . . . . **Victricia Janus**
Prælia Nanceiis spondet juratque procellis,
Inque diem differt quintum promissa, daturus
Afflictæ requiem patriæ pœnasque necemque
Hostibus. O Janum fors vix latet ulla bifrontem.

Cf. VI, 7, sq.

Ecce aliud anni signum et idem olim inter insignia Renati describendum, cum ille Barrensem ducatum recuperaverit. Vide quam incredibili lætitia gestientes Pisces Lotharingiæ duci prosperos eventus prædicant :

III, v. 246 : . . . . . . **Longum sensere gelu cælestia pisces**
Signa, alacri gestu jactantes corpora, tanquam
Victorem agnoscant Phœbæa ex arce Renatum,
Atque huic applaudunt, quem mox dominumque ducemque

Suscipiant terris certo Barrensibus ævo,
Sed regis post funus avi, sq.

Zodiacus ita spirans loquensque inducitur qui futura portendat. Bella, horida bella præcinit Scorpio :

Nanc., I, v. 562 : . . . . . Mox Libræ signa relinquens
Crastinus intravit sol Scorpion arma moventem
Vel nova. Nam caudæ stimulo movet illa retortæ.

Alias quoque rerum futurarum significationes, de carminis epici more, in *Nanceide* invenire est. Mitto incerta et obscura auguria (I, 197 ; IV, 330). Importunis avibus plerumque, corvo et buboni, aut flebiliter ululantibus canibus minitantia et infausta auspicia tribuuntur.

V, v. 440 sq. : Corvus at e castris tunc est maledicta locutus
Verba, cavo crassas ructans a gutture voces,
Præcinuitque viris stragem castrensibus......
Approbat infami plumosus corpore bubo
Corvi verba senis, Pyrrhæ quoque tempore nati,
Et vicina gravi prædixit funera cantu, sq.

Terribilioribus etiam præsagiis, nocte ea quam supremum prælium insecuturum erat, magnum aliquid cunctis præsignificatur :

VI, v. 220 sq. : Nocte diem interea summovit Vesperus, umbra
Horrendum tingente polum, lucisque colores
Exstincti fugiunt oculos, et turpior atro
Nox fuit hæc Orco, nec sidere prædita quovis,
Humanisque malum portendens visibus atque
Mentibus, haud modicum se fecerat ista timendam.
Hic ululasse lupos tenebris, ululasse profanas
Hic et aves memorant. Quod si fas credere sensu
Turbatis, multa hic rerum simulacra malarum
Visa sub obscuræ dices caligine noctis, sq.

Licet suspicari in iis, quamvis duris versibus et confragosis Virgilii aut Lucani Petrum meminisse. Attamen, ut presbyterum decebat, his ominibus noster fidem non adjungit, et ipse

quæ veterum poetarum ritu auguria attulit aut elevare aut destruere studet. Cf. III, 144 sq.

Recentioris vero temporis mythica admodum raro in *Nanceide* reperias. Vix ibi duas aut tres inter eas fabulas quas « *legendas* » medii ævi scriptores vocaverunt, commemoratas excerpsi. Ad hunc versum :

Nanc., I, v. 221. Lilia concussit, *demissos æthere flores*,

annotavit J. Basinus : « Demissos flores : tradunt Francorum regum annales eorum insigne olim bufonibus tribus fuisse depictum, quod postea tribus liliorum floribus Clodoveo primo Francorum regi christiano cælitus missis decoratum est[1]. »

Adde hanc de *alerionibus* « *legendam* » :

II, v. 186 sq. : . . . . Novitque (*Carolus*) sororum
Signa trium volucrum, quibus est alerio nomen,
Et quas rex Solymæ Godofredus fixerat arcu,
Tempore Davidicam quo turrim obsedit in alto
Monte sitam Sion, atque has ut vidit, abivit[2].
Nomen et hoc avium est, ut fama est auctor, ab alis
Aeriis, quia se summum super aera possent
Ferre leves, terris nunquam nisi morte petitis.
Has dux nubigenas ducibus, Godofrede, Lothringis
Morte reliquisti, quibus et vexilla Renatus
Insigniret, avesque argento insculperet albas.
Transversa sed eas pendere in nube per auri
Planitiem voluit, nubemque Synopide tingi,

1. Eadem multi tradiderunt, quorum testimonia protulit Joannes Jacobus Chifletius in libro qui inscribitur : *Lilium Francicum veritate historica, botanica et heraldica illustratum* (Antverpiæ, ex officina Plantiniana Balthasaris Moreti, MDCLVIII), p. 30 sq. Hic Roberti Gaguini (*De Francorum gestis*) verba exscribere satis erit : « Non præteribo hoc loco adjicere, quod « nullo certo auctore, sed perseverante ad hanc meam ætatem fama vulgatum « accepi, fuisse Regibus Francis *Bufones tres* nobilitatis quidem Insigne ; « sed Clodoveo Christianis sacris initiato demissum cælo esse id, quod nunc « Reges gestant, *Lilia aurea,* quibus subest cæli sereni color, quem azurum « Franci dicunt. Ad hanc rem mihi adstipulatur Divi Bartholomæi Monas« terium, quod *Gaudium Vallis* appellatur, ubi fons, hujus miraculi testis, « ab incolis ostenditur. »

2. Hæc quoque relata inveniuntur in tredecimi sæculi poemate quod inscribitur : *La Chanson d'Antioche.*

Ut queat alituum color is signare cruorem,
Quo sine mortifero Solymam tunc fata negabant
Posse capi insidiis, forti aut succumbere bello [1].

Omnia fere poetica ornamenta recensui quibus materiam suam augere studuit noster, ne nimiæ siccitatis et in inveniendo inopiæ argueretur. Quod autem ad deorum ministeria attinet, haud ita crebro ea in *Nanceide* adhibita invenimus. Licet enim ibi cuncta occulta Dei potentia et Sanctorum numine regantur, ipsaque muta cæli signa futura prænuntient, sæpius quasi præteriens Petrus quæ miraculis adscribi possint memorat et nube quadam obvolvit, ita ut nullum inter cælestes et homines nisi per auguria precesque commercium appareat. Quæ vero fabulosa numina occurrunt, ea per ἀλληγορίαν inducta fuisse videntur potissimum, et ut traditus ab antiquis poetis mos servaretur.

Itaque, quod exordiens judicium de Petri poemate tuli, hoc exemplis comprobatum nunc renovare licet, scilicet *Nanceidem* non tam inter epica carmina quam inter annales annumerari debere, cum res gestas præsertim comprehendat et religiosæ orationis sub testibus fidem affectet. In iis autem quæ excogitavit ornamentis, haud sæpe noster ad sublimitatem heroici poematis assurrexit, magisque pedestri orationi accommodata quam carminis dignitati commentus est.

---

1. Ducum aut equestris ordinis insignia vexillaque nonnullis in locis noster aut memoravit aut descripsit, sententiasque signis inscriptas versibus suis inclusit.

Cf. I, 437 sq.; I, 440; I, 451 :

Inde erat ignificum mos huic (*Carolo*) gestare fugillum
Vexillo impictum, silicis qui verbere duri
Scintillas auro ardentes excudat et ignem.

I. 470; V, 304; VI, 388 sq.; VI, 1214-1215, etc.

Interdum animari videntur illa insignia, ita ut, exempli gratia, leo in Burgundorum vexillo pictus in ipsius ducis corde vivere videatur :

I, 440 sq. : Nigra sed in cælum reptantis imago leonis
Tot bellis allata prius feliciter auget
Huic animos rursus, plenusque leone ferocit.
Congrua sic rebus respondent signa ducique
Rite leo alludit; nam vivum pectore gestat
In sua quem pictum transfert vexilla leonem.

Cf. I, 198, 271, 412; II, 145, 176, 381; VI, 117, etc.

CAPUT IV

QUIBUS ÆTATIS SUÆ VITIIS PETRUS DE BLARO RIVO INDULSERIT. — DE DICENDI FORMA IN NANCEIDE.

Jam præter modum forsan quæ in *Nanceide* notatione vel laude digna inveniri possint edisseruimus. Sæpius vero offendimus cum in vitiose quædam vel inepte excogitata, tum in « male tornatos » et « magno cum pondere missos » versus. De quibus nostri mendis, quibus totum, quasi maculis, conspersum est poema, copiosius disputare æquum est.

Habenti quidem ante oculos quo tempore Petrus de Blaro Rivo scripserit non mirabile videbitur nimis multa corrupti judicii vestigia in *Nanceide* occurrere. Immo portenti loco haberemus eum contagione illepidarum facetiarum, inflati dicendi generis, putidæ et puerilis futilitatis, quæ in hac ætate sæviebant, intactum remansisse.

Ante omnia in vituperationem cadunt litterarum mutationes quæ ambiguam verbis significationem alligant. Quoties in hoc verbo : *Renatus* ludit noster!

Cf. *Nanc.*, I, v. 310 : . . . . *Renatus*,
Sed *vix natus* adhuc.

IV, v. 301 : . . . . *Renatum*
His tete ostendas qui terræ in viscera falso
Te cecidisse putant.

Ibid., v. 305 : . . . . reditque *renascere* nobis.

V, v. 269 : Et vos tunc sine *re* nomen ridete *Renati*.

Nanc., VI, v. 1243 : Ejicit Hebræos igitur Lothoringia, nullos
Tunc retinens, nisi qui sacro se fonte *Renatos*
Confestim efficiunt.

In hoc nomine : *Rubenspratum* eodem modo cavillatur :

VI, v. 951 : Namque *rubens pratum* proprio vir sanguine tingens
Cognomen dabat ipse suum, gentemque domumque
Agnosci[1].

Interdum autem in unius litteræ significatione insulsissime immoratur, ex qua similitudines frivolis argutiis tentat deducere. Quæ C littera prima *Caroli* nominis sonat, eadem nos monet *centum* terris imperare Burgundorum ducem (I, 368-69). Quid de R littera dicam qua Renati incipit nomen? Si Carolo credas

. . . . quiddam sonat illa caninum
Dictio, litterulis ringens a fronte malignis[2]. (I, v. 408.)

Corvi crocitum ita interpretabere :

Vox corvina......
Quæ *cras cras* dixerat adsis. (IV, v. 502-503.)

Accipe nunc quorumdam nominum enodationem. Vocantur : Vespasianus : Induperator habens a vespa nomen. IV, v. 80, *Gratien et Menault d'Aguerre :*

Menelaos et hic cui fecit *gratia* nomen,
Scilicet a *bello* fratres cognomen habentes[3] (IV, v. 281);

1. Jam ante annotatum est non semel in *Nanceide* sanctum Aprum silvestrem aprum fieri. IV, 295:

. . . . leoni
Obstat divus aper dentesque objectat eidem
Sidereos.

Cf. IV, 384; VI, 840, etc.

Mitto alios locos quibus quoque appareret Petrum plus æquo in aucupandis ineptiis districtum esse.

2. Cf. Jean Lemaire des Belges, de Margarita Austriaca (*Regretz de la Dame infortunée*) :

A par moy pleure, ayant cause fertile,
Voyant tous noms qui commencent par M,
Ja soient-ilz aornez de diadesmes,
Designer Mort et malheur inutile, sq.

3. Cf. alia vocabula : Spinalum, a *spina* (I, 553) ductum; aleriones ab *alæ aeriæ* (II, 191); Germanos a *germine* (V, 168); « Bulgnéville » a *Bellonæ villa* (V, 278).

de Bièvre de Rubempré :

. . . . . . Miles titulum cui belua fecit
Dicta *Bever*, Castor ritu dicenda latino. (VI, v. 997.)

Nec desunt in *Nanceide* parastichides, ἀναγραμματισμοί, χρονογράμματα, si rursus hoc vocabulo uti mihi concessum fuerit. Jam ante animadversum est parastichidibus incipere et desinere Petri poema. Si enim in versibus 1-14 primam tantum litteram legeris, nomen scriptoris habebis : *Petrus de Blarru;* si autem septemdecim postremorum versuum primas quoque litteras conjunxeris, invenies : *Petrus Parisiensis*[1].

In sexto libro (v. 1276) ejusdem nominis exstat ἀναγραμματισμός : Plus deturbarer = *Petrus de Blaru*. Denique hoc χρο-

1. In : *Auctoris in suæ Nanceidos historiam epitoma* aliam parastichidem legas, si octo et tringinta verborum quibus hoc incipit proœmium primam litteram excerpas : Autoris nomen Petrus de Blaro Rivo Parisianus. Denique, quod miror a nullo ex iis qui *Nanceidi* operam dederunt animadversum esse, si primam cujusque libri litteram dempseris, rursus invenies scriptoris nomen : PETRVS.

Istiusmodi parastichidibus Petri æquales poetas delectatos esse nemo est quem prætereat. Cf. Villon, *Ballade de Villon à s'amye.* Ex primis primæ strophæ litteris resultat poetæ prænomen : Françoys. — *Grand Testament. Ballade de Villon et de la grosse Margot.* Tibi extrema stropha nomen scriptoris præbet : *Villon.* Cf. *ibid.*, extremam stropham carminis inscripti : *Ballade que Villon feit à la requeste de sa mère, pour prier Nostre-Dame,* etc. Cf. quoque quæ C. Schmidt de Sebastiano Brant tradit (*op. cit.*, p. 243-244). Iisdem ludis indulsit Joannes Secundus, Flandriæ Tibullus dictus, qui, exempli gratia, ita parastichide Everardi patris sui nomen memoravit :

Nicoleos vario longum quæsita laborE
Ista dat, extrema jam renovante manV, etc.

(*Joannis Secundi Opera,* Lugd. Bat., 1619, p. 135.)

Cf. quoque hymnum nostri in honorem sancti Deodati quadraginta et octo versibus scriptum, « ex quorum capitalibus litteris hæc verba resultant : « *Sancte præsul Deodate, intercede pro tuis fidelibus. Amen.* »

Refert denique D. Calmet (*Bibl. Lorraine,* p. 127) epitaphium Richildis a Petro compositum. Ibi aliam facile parastichidem deprehendes quam nusquam tamen notatam inveni. Liceat igitur hos versus exscribere :

Ad Richildem Fundatricem
Divus Præsul Deodatus.

*D*ote Deodatum quæ me, Richildis, adornes
*E*xplicat Alsatiæ jus Comitissa tuæ,
*B*acchica cum pingui quondam mihi pocula fruge
*L*egasti, unde sitim vita famemque domet.
*A*t mihi perpetua hæc essent ut dona dedisti
*R*us, decimas, fundos, hanc venerata domum.
*R*es tibi majores dotis memor impetro supplex,
*U*t pro terrenis det Deus astra bonis.

Primas tantum legens litteras, habebis : *De Blarru.*

ℭ petri de Blarrorivo parhisiani/Nanceidos Liber primus:

PRelia magnanimum que
te fregere Leonem
Elatum titulis toto fulgē-
tibus orbe:
Terribilē q; armis scribo
dux Carole.gestam
Rem/renouet Clyo: pegaseis cincta Camenis.
Victoris sinat hec iam principis arma Renati
Surgere perpetuo(patitur si liuor)honore.
Difficilem et victi mortē Ducis explicet.ausi

Autor i shui⁹ sui totius
operis Argumentū. &
quā in eo hystoriā exe-
cuturus sit.

ℭ Incipit Nanceidos Liber .II.

EGregius bellis/ēra & iam
notus in omni:
proxia Sabaude tenet Hel
uetus oppida terre:
E quibus est vni Morathū
nomen.ad Alpes
Suspicit illud: & ex harum radice.remotum
A niue se gaudens; que montibus insidet albis.
Tum lacus accliui pendens de valle: coactis
Semper aquis vndās iuxta est: qui claudit ab ima

ℭ Nanceidos liber Tercius incipit.

TRansierat(dictus a septē)
mensis.obidq;
Bis nonus radijs titan
octobribus orbem
Spargebat veniens: subito
cum murmur & ingens
Est fragor auditus terra .quā Burge secundo
Dux repetis.patitur si gens hoc fida Renati.

. h. i.

Cronographia.

ℭ Nanceidos liber Quartus Incipit.

REgis at interea Franci
galeata sedebat
Ad Mopse ripam legio.
que pulchra: Leoni
Spem dabat.at falsam:
q̄rum vulgaris habebat
Cōiectura.bono sua Rēgi archana relinquo.
Si consanguineis hunc talem nouere.ducēsq;
Forte erat huic animus legioni ad prelia neuter/
Equalis ve.tamen Lothoringis illa timori

ℭ Nanceidos liber Quintus Incipit.

VT vero celum ac terras/
atq; aera miscens
Murmure fama/ducē (sed
adhuc dubitata) Renatum
In patriam redijsse suam/
dispergere linguis
Cepit: adest animus non auditoribus vnus.
Vita alijs vox hec.alios/terrore pauentes
Exanimat.frangitq; inopinus turbida rumor
pectora . nec refert: vera an mendacia turbent.

ℭ Nanceidos liber Sextus Incipit.

SOlis at interea curru
vergente sub amnes
Occiduos: & ab ijs mox
emergente: dedisti
Quintum Iane diem:
qui fati/quiq; cruoris
plenus; est metas tanta inter prelia missum.
Hec clemens & seua dies/meliora quis horum
Arma ducum gestat: victricibus exprimet armis.
Atq; ducum litem capitum/& discrimina cause

Cronographia

Phototypie J. Royer, Nancy.

EX NANCEIDIS EDITIONE ANNI MDXVIII.

(PETRUS LEGITUR SI ORNATÆ LITTERÆ JUNGUNTUR ORDINE.)

νογράμμα proferam quo una memorantur locus, annus, dies mensisque quibus occidit Carolus :

Nanc., VI, v. 677 : CaroLVs hIC IanI qVInta sIC VInCo renatVM,
Ore locum mortis mensemque annumque diemque
Vi periens multa versu complectitur uno.

(1476 [ancien style] quinta Jani. Ibi quoque et *Virilethum* et *Nanceium* reperies [1].)

Ænigmata quoque accipe in quibus nugatur Petrus. Ea ambage signiferi cujusdam prænomen indicatur :

VI, v. 402 : In Jove quæ prior est syllaba surgat, eique
Hannibalis primam, mox primam Nestoris adde.

(*Joannes.*)

Sed obsessos Nanceienses et inedia adeo laborantes ut, nisi subveniatur, jamjam perituri sint, quis credat satis animo vacavisse ut tales argutias consectarentur? In hac tamen longa et incredibili Renato missa epistula, inopinatum quo feles designetur occurrit ænigma :

IV, v. 244 : . . . . cujus veram tunc perlege vocem,
Littera si procul est a scripto quarta Meatu.
Dictio sed fiet tunc hæc disillaba. Cunctis
Muribus hæc nota est, tonitru crudelior omni.

In promptu etiam esset colligere illiberales facetias quibus sæpius *Nanceidem* condivit noster et quas seriæ, immo epicæ rei narrationi intemperanter admiscuit. Jocosum et hilarem Petrum fuisse jam nos admonuit a Laurentio Pilladio compositum epitaphium :

Scommate milleno, salibus quoque labra fluebant;
Promebas gratis seria mixta jocis.

---

1. Alterum χρονογράμμα nostri in Vita Renati a Joanne Aloysio scripta legitur, quod supra relatum est.
Nimis acute, ne dicam ingenue, alios ἀναγραμματίσμους in *Nanceide* indagavit et odoratus est F. Schütz (vide præfat. Ed. 1840, p. LXXVI. sq.), tali ratione ut, si quis cujuslibet versus litteras singulas excerptas ad arbitrium suum connectere voluerit, occultam ibi significationem haud dubie deprehensurus sit.

Nec videtur Deodatensibus canonicis defuisse lætus ille animus. Nonne G. Lud a Philesio *Ludius* cognominabatur? Quid autem aliud *Grammatica figurata* fuit nisi festiva grammatica in qua presbyteri effigies, nomen substantivum, calicis, proprium nomen, etc., exprimunt [1]? Facetos quoque canonicorum animos declarant ridiculæ Judæorum facies in *Graduali Deodatensi,* inter annos MDIV et MDXIV, descriptæ, in quibus se oblectavisse nostrum verisimile est, utpote qui contra Judæos tam vehementer in sexto *Nanceidis* libro invectus sit.

Pauca ibi exempla afferam istiusmodi generis facetiarum quæ absurdæ in heroico poemate, ut in tragœdia cachinni, sonant.

Ecce Suffron, cum jam in eo est ut suspendio affigatur, dum honestius mortis genus a Carolo implorat, quod equitem saltem deceat, hæc addere non dubitat :

Nanc., III, v. 496-497 : . . . . Aut proximus is me
Murtha bibat fluvius, bibere hunc si nescio totum [2].

Sed operæ pretium est audire quomodo et quam opportune in hac obsessorum Nanceiensium epistola inducatur feles leporis vice fungi coacta :

IV, v. 238 :

Sic animam qui *jure* suam defenderat æquo
Jure perit nostro, verubus versatus, et assus
Fert leporis speciem, modo desit cauda caputque;
Sed breviora retro produnt hunc crura fuisse
Muricipem.

Mirum ni in hoc vocabulo *jure* [3] luserit Petrus. Sane eum, ut canonicum erudito palato, commovent miseranda macie confectorum alimenta. Quorsum evasere opiparæ epulæ, quas in

1. Cf. Schmidt, *op. cit.,* t. II, p. 118 sq.
2. Cf. III, 725. Quæ de Germanis in Rheni transitu absumptis dicit:
At morientum aliquis, digito non ore locutus
Inter aquas potuit verba hæc inscribere arenis :
Absorbemur aquis quas absorbere bibaces
Sprevimus. . . . . , etc.
3. Cf. notum illud M. T. Ciceronis *jus Verrinum.*

primo *Nanceidis* libro commemoravit, lepores, ibices, cervi, aligerum genus omne et quæ

Huic dedit oræ
Vina deus. . . . .
. . . . . salsum miserata palatum ? (I, v. 102-104.)

Alios similes locos prætermitto quibus hilaris interdum significatur scriptoris animus. Idem plebeia vocabula aut proverbia nonnunquam usurpat :

Cf. I, v. 228 : Surdior, ut vulgo dici solet, aspide.
v. 234 : Et crassum flammæ vivaci infunde liquorem.
(*Jeter de l'huile sur le feu.*)
v. 267 : Manus urit jure hoc urtica prementes [1].
(*Qui s'y frotte s'y pique.*)
v. 344 : . . . . ad acutam singula longus
A filo deduxit acu.
(*De fil en aiguille.*)
II, v. 208 : . . . monstratque pedum nullam esse podagram.
II, v. 345 : . . . . pro nemine fingitur absens.
(*Les absents ont tort.*)
II, v. 449 : . . . . nesciri tutius hic est.
(*Pour vivre heureux, vivons cachés.*)
IV, v. 615 : . . . . lætus
Qui fuerat, gemitu se mox exercet amaro.
(*Tel qui rit Vendredi, Dimanche pleurera.*)
V, v. 234 : . . . . . . Verum est quod dicere tritus
Mos solet. It solus socium qui non habet aurum.
V, v. 421 : . . . . fustibus aera cædo, etc., etc.

Tumidi vero dicendi generis haud pauca specimina in *Nanceide* occurrere jam obiter animadvertimus. Referamne jam ab initio primi libri ursorum ad Lotharingos orationem precantium ut seipsos venari supersedeant, memores beneficii olim ab Helve-

---

1. Si urticæ in locum carduum subdideris, sententiam illam agnosces a Lotharingis primum circa Renati tempus usurpatam.

tiis ursis collati? Immo ad Arcton conversi eam obsecrant ut, ursorum videlicet numen, sibi auxilietur.

Mirum in modum Lotharinga terra indignatur cum ei mandatur Caroli corpus; silet tamen ut cui vox desit:

Nanc., VI, v. 1188 : Terra loqui defossa volens longo oris hiatu
Vocis egens siluit. Quæ, si tunc forte locuta est,
Impediere sonum vocis tunc verba precantum
Relligiosa patrum, sq.

Locum præcido; sed quam ista inflata sint neminem fallit.

Sæpius Lucani vestigiis insistere Petrum arbitreris, præsertim cum cædes et vulnera et ludibria mortis fusius explicat, ut in iis versibus quibus humi jacentia post pugnam ad Jarvillam cadavera descripsit:

VI, v. 594 sq.:

. . . . Currusque ensesque virosque
Inversos miscebat humi Fortuna. Caputque
Insidet hùmano quod equi fuit antea collo;
At contra acephalo visa est humana caballo
Adjungi cervix cum pectore. Sicque biformem
Centauri effigiem casus formavit et error,
Et casu se aptant variorum scissa ruentum
Membra velut glacie inter se compacta lutoque.
Hæc simulacra gelu tandem durata putares
In silices conversa et Gorgonis illa Medusæ,
Tunc cum viva forent, crines vidisse colubros.
Tot nova tu mortis posses horrescere monstra,
Cum videas istos nullis scissisve jacere
Cruribus, his dextras aut nullos esse lacertos;
Auribus aut naso multos fors exuit, atque
Corporibus vel mille caput vix affuit unum, sq.

(Cf. IV, v. 98 sq., etc.)

Nunc Claudiani ad imitationem expressos dicas arcessitos quosdam versus:

III, v. 124 : Vincere tunc Thetim certat Vulcanus, at altas
Flamma trabes lambit, si quas offendit, et humor
In fumum et nigros se flet migrare vapores.

Nanc., VI, v. 845 :

> Inde triumphales jaculantur compita flammas,
> Igne polum feriente, timensque incendia cælum
> Objecit gelidæ nubem nivis atque pruinas.

Talibus ampullis gaudet noster vel quæsitis et turgidis vocabulis vel frigidis loquendi circuitibus.

Cf. II, v. 119 : . . . . mulgentque cruorem.
IV, v. 317 : . . . rabie ut vivos deglutiat hostes.
VI, v. 10 : Sanguine sed terras Lothoringus inebriet ensis.

Vocantur vacca, *taurorum uxor* (IV, 128), taurus et aries, *portitores Europes et Helles* (IV, 127), etc.

Longius et prorsus supervacaneum esset alia fucata ornamenta, argutiolas, antitheta persequi per totum opus sparsa. Sanum judicium et modum et urbanitatem Petro sæpius defuisse satis comprobatum esse arbitror.

Non tamen de eo existimari potest, nisi respectu habito ætatis in qua vixit. Hac enim ætate, cum in Gallia aurora tantum sexti decimi illius sæculi litteras renovaturi illucesceret, constat sine ullo delectu a poetis aureæ et argenteæ vel christianæ et infimæ latinitatis scriptores in exemplum assumptos fuisse. Quare merito animadversum est[1] recentiorem latinam poesim quo modo vetus finem fecerat eodem incepisse, ita ut illi XV^{i} sæculi poetæ Ausonii, Sidonii Apollinaris, Fortunati, sancti Aviti, sancti Pauli Nolani, non autem Virgilii aut Lucani sermonem et dicendi formam retulerint. Fere omnes iisdem insulsis facetiis indulgent quas in *Nanceide* reprehendimus, et litterarum mutationes, parastichides, ænigmata pueriliter consectantur. Si quando aliquid apud eos venuste aut poetice excogitatum est, pro certo habeas brevi modum excessurum esse locum eleganter inchoatum vel rustica scurrilitate inquinatum iri.

Petrum autem decuisset exemplaria Latina, ne dicam Græca, magis assidua manu versare, quippe qui interdum se non omnino *Æneidis* aut *Pharsaliæ* ignarum ostenderit. Libet quærere quæ

---

1. A. Schmidt, *op. cit.*, t. 1, p. XXIII.

ad exemplar veterum scriptorum expressa et quæ ex iis hausta verba in *Nanceide* deprehendere liceat. Hæc quidem paucissima tantum annotare potui, quæ infra recensa sunt, servato in *Nanceide* librorum ordine :

Nanc., l. I, v. 11 : Arma loquar per quæ tardantia dux Leo fata
Ruperit.

Virg., *Æn.*, VI, v. 882 : . . . . *si qua fata aspera rumpas.*

L. I, v. 435 : . . . . reparatque incudibus enses.

Lucan., *Phars.*, VII, v. 146 :
Martius incaluit Siculis incudibus ensis.

L. II, v. 59 : . . . . rupere moras.

Virg., *Æn.*, IX, v. 13 : *Rumpe moras omnes.*

V. 69 : His pugnare pium ac justum est, illisque necesse.

T. Liv., l. XXXI, 40 : *Nec nunc illi, quia audent, sed quia necesse est, pugnaturi sunt.*

V. 413 : . . . . parce meus sanguis.

Virg., *Æn.*, VI, v. 834-835 :
Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo,
Projice tela manu, sanguis meus !

V. 84 : Turpia conversos in fœdæ opprobria sannæ,
Fortuna super hæc nasum crispante maligna.

Pers., *Sat.*, I, v. 62 ; V, v. 91 : . . . . *sannæ.*
Sat., III, v. 87 : *Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.*

V. 757 : Cum quibus in gelido cadat ardentissimus agro.

Horat., *Ep. ad Pis.*, v. 465 :
. . . . . . *ardentem frigidus Ætnam*
Insiluit.

L. III, v. 372 : Ferrea Tisiphone (tanto nam nomine digna est)
Turribus insultat celsis.

Virg., *Æn.*, VI, v. 554 :
. . . . *stat ferrea turris ad auras,*
Tisiphoneque sedens.

V. 570 : *Tisiphone quatit insultans.*

V. 499 : At is scopulo par immotusque marino
Obstat.

Virg., *Æn.*, VI, v. 470 :
Non magis incepto vultum sermone movetur
Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.

Nanc., l. IV, v. 153 : . . . . . ad equarum nostra maritos
Ire fames jussit fidosque invadit ut hostes.
Tum meritos nil tale necat ; tam justa laborum
Pergravium famulis debemus præmia nobis.

Ovid., *Metam.*, XV, v. 116 sq. :
Quid meruistis oves, placidum pecus inque tuendos
Natum homines. . . . . .

V. 120 : *Quid meruere boves, animal sine fraude dolisque*
Innocuum, simplex, natum tolerare labores ?

L. IV, v. 324 : Armatus arat Burgundio litus.
Ovid., *Her.*, V, v. 116 : *Non profecturis litora bobus aras.*
Trist., V, 4, v. 48 : *Nec sinet ille tuos litus arare boves.*

V. 373 : . . . . passi pejora timendis.
Virg., *Æn.*, I, v. 199 : *O passi graviora. . . . . .*

V. 415 : Hæc humeris mortemque suis simul hostibus aptat.
Virg., *Æn.*, VIII, v. 731 :
Attollens humero famamque et fata nepotum.

V. 427 : Nobile non donat nomen pater aut avus, alma
Sed genitrix virtus, quæ res illustrat opacas.
Juven., *Sat.*, VIII, v. 20 :
Nobilitas sola est atque unica virtus.

V. 527 : Nec nivis immodicas (tanta est constantia) vires.
Lucan., *Phars.*, X, v. 490 :
Obsessusque gerit (tanta est constantia mentis)
Expugnantis opus.

V. 566-567 : . . . . et sine morsibus ipsi
Collambunt siccas frustra et sine sanguine barbas.
Virg., *Æn.*, IX, v. 64 : . . . . *et siccæ sanguine fauces.*

V. 618 : . . . . volvuntur moti curvamine canthi.
Pers., *Sat.*, V, v. 71 :
Vertentem sese frustra sectabere canthum.

L. V, v. 22 : Namque animus belli male conscius indicat ore
Quas meruit pœnas et se dijudicat ipsum.

Cf. l. VI, v. 330 : In re quisque sua judex se viderit intus.
Juven., *Sat.*, XII, v. 198 :
Nocte dieque suum gestare in pectore testem.

L. V, v. 454 : . . . . . . animum partes alternat in omnes,
Et se quærit utro melius sit vertere.

Virg., *Æn.*, VIII, v. 20 :

Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat.

Nanc., l. V, v. 581 : . . . . constat in hydram
Tot capitum.

Horat., *Epist.*, I, v. 76 : *Belua multorum es capitum.*

V. 732 : . . . . manendum
Hic statuo, fugite hinc sine principe, vadite mortem
Quæsitum.

Cf. Lucan., *Phars.*, V, v. 325 :

Vadite, meque meis ad bella relinquite fatis.

V. 85 : Sola facit claros virtus, nec levia curat
Arma, nec ad cristas nec ad ornamenta retorquet
Hæc oculos.

Juven., *Sat.*, VIII, v. 1 : *Stemmata quid faciunt,* sq.

V. 92 : . . . Magnanimis verbosa oratio si quid
Adderet, o socii, quod fortia spectat ad arma,
Eloquerer . . . .
. . . . tamen hic vos pauca monebo.

Sallust., *Catil.*, 58 : *Compertum ego habeo, milites, verba virtutem non addere. . . . . . Sed ego vos, quo pauca monerem, advocavi.*

V. 226 : His ululasse lupos tenebris, sq. (Vide pag. 71.)

Cf. Virg., *Georg.*, I, 470, 477-478.

V. 706 : His lectum extrema sortitus nocte pavorem
Nescius humanum nunc nunc pavet omnia, vitæ
Traditus exilio et terræ jam plenus amatæ.

Virg., *Æn.*, XII, v. 359 :

En agros et quam bello, Trojane, petisti
Hesperiam metire jacens, sq.

L. VI, v. 885 : Egressi portis cives hostilia rursus
Castra petunt, juvat excidium spectare pioque
Jam metiri oculo quot tantæ funera stragis.

Virg., *Æn.*, II, v. 27 : *Panduntur portæ ; juvat ire et Dorica castra*
Desertosque videre locos. . . . . .

V. 890 : . . . . pacem portantis et arma.

Virg., *Æn.*, VIII, v. 114 : . . . . . . *pacemne huc fertis an arma ?*

Aliquot quoque vocabula ex Persio et Juvenale desumpta a nostro liceret referre. Cf. II, 95, isse intestatum; Juven., I, 144; III, 274. — III, 450, aloes; Juven. VI, 180. — III, 758, naulum; Juven., VIII, 97. — IV, 405, cadurcos; Juven., VII, 221. — V, 84, delumbe; Pers., I, 104. — V, 654, gluto; Pers., V, 112, etc.

Si vero sermonem ipsum Petri attendas, primo statim adspectu deprehendes multa obsoleta verba ab eo usurpari, plura etiam quæ sunt infimæ latinitatis, nonnulla denique quæ ipsum finxisse verisimile est. E quibus quæ maxime notatione digna existimavi infra enumerata sunt.

In hac recensione vocabula ad litteram digesta sunt.

Ab intus, II, 621. *Du Cange*[1]. — *Au dedans*. — Commodianus. Instr. 64 : Extinguis te ipsum, quando te incendis *ab intus*.

Acephalus, IV, v. 68; VI, v. 597. — *Isid.* Or. 8, 6. — Gualtherus ab Insulis, *Alexandreis,* V, 21.

Hoc verbum Abbo quoque usurpavit (*De bello Parisiacæ urbis et Odonis comitis*), de Normannis dicens:

Acephali, quoniam Christi perdunt caput ipsum.

Admonitare, III, v. 606.

Alerio, II, v. 187. — *Du Cange :* Alario.

« Joan. Salisber., *De nugis curial.*, l. I, c. 13: « Aquila namque sicut rex avium est, si non Alarionem excipias, quæ forte aquilarum species potentissima est. » Num inde in arte heraldica *Alerion* vocant, sensu opposito, aquilam minorem rostro et unguibus mutilam?

« Huic loco vitii aliquid inesse nemo non videt; fortasse pro *non alarionem* legendum *valeriam,* cum apud Plinium, lib. 10, cap. 3, § 3, *Aquila Valeria* sit viribus præcipua. »

Amodo, IV, v. 171. Hieron., *Vita Hilar.*, 51. — Paul. Nol., 3, 28.

Appropiare, III, v. 7 et 479. *Du Cange :* Appropiare, approximare, appropinquare. *Exod.*, cap. 4, γ. 4. — Lucæ, 10, etc.

---

1. *Glossarium mediæ et infimæ latinitatis conditum a* Du Cange *cum supplementis Carpenterii,* etc. (F. Didot, 1840.)

Archaniger, V, v. 493.

Astrisequus, V, v. 109.

Aurivomus, VI, v. 358. Gualtherus ab Insulis, *Alexandreis,* III, 9; V, 461.

Bibulosus, VI, 666. *Du Cange :* Biblosus, juncosus.

Blasphemus, VI, v. 196. — Prudent. Περὶ στεφ., I, 75. Tertull., etc.

Bombus, III, v. 330 : *canon.*

Bombus exstat, sed alio sensu, apud Ennium, Varronem, Lucretium, etc. Hoc vocabulum apud *Du Cange* legitur in hanc sententiam acceptum : pila incendiaria, *bombes.*

Castrare, VI, v. 233. = castra locare.

Cespitare, II, v. 221. *Du Cange:* Cespitare, *trébucher.* (*Glossar. Lat.-Gall. ex Cod. reg.,* 7692.)

Cinnus, VI, v. 617. *Du Cange :* « = nervorum distentio. Cinnus, *Torti oris* in *Gloss. Arabico-Lat.* » — Annotavit Joannes Basinus : « Cinnus est oris contractio in moriente. »

Condescendere, V, v. 560. Cassiodor., II. Variar., 16. Alia exempla apud Isidorum, etc.

Creatus, IV, v. 471 = creatio.

Cuncta, III, v. 677 = cunctatio.

Cupiscere, VI, v. 1173. — *Du Cange :* « Cupere. — *Acta S. Cassiani apud Ill. Fontaninum in Appendice Antiq. Hortac.,* p. 349.

Animo et præstanti corde cupiscens. »

Duellificus, III, v. 199.

Energia, III, v. 557. *Hieron.,* etc. *Gloss. Latin-Gall. Sangerman.,* mss., energia, *efficace, effort,* etc.

Exculpare, III, v. 430. Exculpatio, non autem exculpare reperitur apud *Du Cange.*

Extasis, IV, v. 402. *Du Cange :* « Defectus cordis. Gallice *pasmeson. Glossar. Lat. ex Cod. reg.,* 521. »

Fideifragus, V, v. 608. *Du Cange :* « Fidefragus, in Speculo Saxonio, lib. I, art. 40. *Gloss. Lat. Sangerm.,* fidifragus. — *Brisefoy.* »

Flebundus, IV, v. 249.

Frictus, VI, v. 1091 = frictio.

Fugillus, I, v. 451. *Du Cange :* « Gall. *Fuzil.* Videtur esse ab Hispano *Fuego,* Ignis. »

Glorificus, V, v. 383. *Cod. Justin.,* 2, 8, 6.

Ignio, III, v. 783. Prudent., Περὶ στεφ., 10, 1077.

IMPREGNARE, II, v. 730. *Du Cange :* « Impraegnatus. — *Mythogr. Vatic. apud Mai. Auct. Classic.,* t. III, p. 117. » — Johannes Iscanus, *Bellum Trojanum,* I, v. 106 :

Hic evocat antro
Qui vela impraegnet Zephyrum.

INABSORPTUS, VI, v. 1255.

INFLEXILIS, V, v. 509 = inflexibilis.

INTERCURSOR, III, v. 620.

INVESTIGABILIS, III, v. 633. Tertull. *In Herm.,* 43.

LABIUM, II, v. 356, pro: labrum, *bord d'un fossé.*

LAUREOR, V, v. 591. *Du Cange :* « Laureare = Decorare, Coronare. » — S. Petrus Chrysologus, *Serm.,* 66.

LEVIARE, III, v. 209. *Alleviare* tantum apud *Du Cange* reperitur.

LIGA, VI, v. 418. *Du Cange :* « Confœderatio, fœdus quo quis cum alio *ligatur,* vincitur. — *Ligue,* nostris, etc. »

MAGNATES, II, v. 521. Hieron., *Interpr. eccles.,* 33, 19.

MERINGA, IV, v. 519. Annotat Joannes Basinus : « Meringam, id est aurem. Est enim meringa pars auris interior in concavo et in qua virtus auditiva consistit. » — Cf. Reuchlin, *Breviloquus vocabularius* (Basileae, 1481) : « Meringa, ge, f. p. ŭ; pellicula ubi fit auditus. » — Verisimiliter a μερίζω μέριγξ, ut a συρίζω σύριγξ fictum verbum = membrana quae dividit.

MISEREMINOR, V, v. 821. (Obsoleti imperativi exitus.)

MOMENTANEUS, III, v. 269. Tertull. *Adv. Marc.,* 3, 17. — 2ª *Ep. S. Pauli ad Corinthios,* 4, 17. — Gualtherus ab Insulis, *Alexandreis,* VII, 133.

MUSIO, IV, v. 220. *Du Cange :* « Dictus quod muribus infestus sit, hunc vulgo Catum a captura vocant. »

NETRIX, V, v. 711.

NIHILARE, VI, v. 914. — *Du Cange :* « Nihilari, — in nihilum recidere, exinaniri, mori, etc. »

PASCUA, I, 37, sing. fem. Tertullianus, *Apol.* 22.

PHALERARE, VI, 339. *Phaleratus* tantum apud latinos scriptores invenitur.

PLUERE, in activo sensu, III, v. 318 :

Sulphure saxa pluit mixto creberrima.

Exodus, 16, 4. — Gualtherus ab Insulis, *Alexandreis,* I, v. 146 :

Plue donativa maniplis.

Eodem sensu *compluit.* (*Ibid.,* V, 97; VII, 350.) — Johannes Iscanus, *Bellum Trojanum,* I, 471 : *compluta;* — II, 76; III, 236, id. Augustinus.

Portabilis, V, 312. Sidon., *Ep.*, 8, 11.

Prejudicare, II, v. 392 = nocere. Ulpianus, *Digest.*

Principari, V, v. 93. Lactant., 4, 13. — Sidon., *Carm.*, 9, 47.

Rancor, V, v. 648. Pallad., I, 20, 2. — Hieron., *Ep.*, 13, 1.

Reatus, VI, v. 655 = culpa, peccatum. Prudent., *Cath.*, II. — Apul., etc.

Remorsor, I, v. 263.

Renatisequus, V, v. 339.

Salvare, V, v. 695. Lactant., Hieron., etc.

Sannare, VI, v. 700. Glossar. Philox. : subsanno. *Psalm.*, 2, 4. — Gualtherus ab Insulis, *Alexandreis*, IX, 37.

Signaculum, II, v. 457. Tertull., *Apologet.*, 21. — Prudent., *Psychom.*, 360. — Apuleius, etc.

Silvanus, IV, v. 513, pro *silvestri* usurpatus.

Sepulchrare, VI, v. 909. *Du Cange :* « Sepulchrare, sepelire, sepulcro condere. — Epitaph. Caroli Ducis Burgund. ann. 1476, inter Probat. *lib.* *Comment. Philippi de Comines*, pag. 224 :

Nunc dic Nanceios cernens ex æthere muros :
A clemente ferox hoste Sepulcror ibi.

Ensepulcrir apud poetas nostrates. »

Subarro, VI, v. 617. Annotat Joannes Basinus : « substituit ». — Alio sensu apud *Du Cange*.

Surcus, V, v. 111 = surculus.

Subinfero, I, v. 669. Augustinus, *De Genes. ad litt.*, 3, 24. — 2ª *Ep. S. Petri*, I, 5.

Susurria, II, v. 632. — *Du Cange :* « Susurrium, *murmurement*, in *Glossar. Latin.-Gall. Sangerm.* — *Vita Vener. Idæ*, t. II (April.), p. 174. — S. Bernardus, *Exhort. ad milites Templi*, c. 4, etc. »

Templor, IV, v. 598 = contemplor.

Turtur, I, v. 92 = piscis qui Latine vocatur *tructus* aut *tructa*.

Ustilis, III, v. 239.

Vafria, V, v. 491 = vafritia.

Verbigena, VI, v. 1258. Prudent., *Cath.*, 3, 1 ; 11, 17.

Versus, VI, v. 1091, subst. a verro, verris, ut annotat Joannes Basinus :

Diffugit et frictu sanies versuque cruentus
Squalor. . . . .

Vicedux, II, v. 460. *Du Cange :* « Ital., *Vice-Duca ;* Gall., *Vice-Duc.*, vel *Vicedoge.* — Cf. Translat. SS. Pauli et Barbari, t. VII, Maï, p. 722. »

Non pauca alia prisca vel e malis latinitatis auctoribus hausta vocabula recensere in promptu fuisset quæ in *Nanceide* occurrunt :

Affamen, I, 567; *crassare,* VI, 768; *decipula,* I, 482; *februare,* V, 415; *ode,* VI, 858; *papilio* = tentorium, IV, 523; *protervia,* VI, 811; *quæritare,* V, 76; *raucidulus,* IV, 238; *tegna* = techna, IV, 572; *univocus,* V, 355, etc.

Quædam autem verba in insolentem significationem Petrus detorquet, ita ut, dum iis novos sensus ponit, per ambages loqui videatur. Ita enim scripsit :

Nanc., V, v. 546 : . . . . nos optima fortes
Fecit causa viros ante et nunc *calva* remissos.

Conjectura tantum assequi licet hic « *calva* » eo sensu intelligendum quo verbum *calvo, calvere,* id est : *fallax, dolosa.*

Nec prima specie legenti suspicari datur arcum hoc verbo designari : (VI, v. 613) « Iste *Yrim* curvat. » Profecto Joannis Basini interpretatione non mediocriter eget hic quoque versus :

VI, v. 1194 : Quidquid opis sancto depostulat ore Lupercal.

Cui adscripsit Basinus : « Lupercal, id est sacerdos. Est tamen lupercal sacerdos Panis, pastorum dei, qui hic pro quolibet sacerdote accipitur. »

Ita in verborum delectu non nimis anxium et diligentem se præbuit Petrus. Attamen eum in verbis serendis satis cautum et parcum fuisse fatearis necesse est, si rationem habeas ætatis qua *Nanceis* scripta est. Ut uno exemplo utar, non inopportunum videbitur quærere quæ nova vocabula procuderit vel quibus verborum callidis circuitibus usus sit ad res significandas prorsus Latinis auribus inauditas. De iis dico belli tormentis quartodecimo sæculo inventis quæ fulmen et mortem eructant, et de oppidorum munimentis, qualia in medio ævo exstrui solebant.

Si quando, ut ejusmodi machinamenta vel munitiones exprimat, novum aliquid verbum Petrus protulit, veniam quodam modo a lectore petit. Ita enim de *bombis* (*canons*) loquitur, qui regum claves sunt (III, v. 325) et ultima ratio :

III, v. 329 : Tormenti genus hoc, vulgo si credis, ab acri
Bomborum tonitru nomen vult ferre, latinis
Auribus ignotum, et quod barbara mulceat ora.

Illi igitur multo potius videtur quod nos uno vocabulo significamus idem pluribus verbis et circumlocutione exponere, vel pro verbis propriis translata submittere. Quare Gallica verba « *bombarde, canon, couleuvrine, serpentin, balle,* etc. » ita reddit aut interpretatur :

Bombarde, canon. — I, 179; III, 10 : tonitru; I, 181 ; II, 78 ; VI, 246, 464, 474, etc. : fulmen ; I, 466 : tormenta bellica.

II, v. 83 : Ferrea nam belli tormenta volatile fulmen
Per densam gentis silvam segetemque virorum
Eminus impellunt, tonitru non surda loquente. . .

Pierrier, couleuvrines, serpentins.

III, v. 93 : Multaque turbato tonat æthere machina petras
Ejaculata graves gentique urbique timendas,
Atque aut a colubris aut a serpente venenum
Cognomenque trahens, omnis tunc belua rugit
Fusilis, inferno sua spargens castra latratu.

Cf. VI, 430 : Colubrina tormenta.

Artillerie et artilleurs. — VI, 466, 467 : Mulciber; ars Vulcania. III, 105 ; VI, 245 : Cyclopes.

III, v. 108 : Nam habet Ætnæos ætas Cyclopes, et omnis
Ars horum tremulis illatrat mœnibus . . . . .

Bombardement.

III, v. 321 : Grandia sulphureo nam ructans saxa boatu
Ferrea Tisiphone (tanto nam nomine digna est)
Turribus insultat celsis et mœnia findit.

Boulets.

II, v. 87 : . . . . saxa gravi trajecta sono.
III, v. 318 : Sulphure saxa pluit mixto creberrima.
VI, v. 474 : . . . . massas
Fulmine sufflatas.

Balles.

I, v. 181 : Glandibus ex alto missis. Cf. III, 161, etc.

Pont-levis. — II, 354 (pons levatorius, levatilis vel levator, *Du Cange*) :

> Sublicius quisnam te pons veniente levari
> Se sinet, ut fossæ anfractu quam trajicit hiscat?
> Omnis enim in terræ labium descendet ab alto
> Pons, capiens laxis vestigia nota catenis [1].

Inde colligi potest Petrum in bellicis tormentis latine exprimendis haud multum a recentioribus poetis differre, qui in sexto decimo et in septimo decimo sæculo cum Romanis Musis rationem habuerunt. Argumento sit vel unus Nicolaus Parthenius Giannetasius [2] in iis poematibus quæ *Bellica* et *Naumachica* inscribuntur. Hos versus nostri esse credas, quod ad vocabula attinet, quanquam hic comptior et politior oratio :

Bellic., l. VII : . . . . nova quæ tormenta tremendo
Inclamant bombo ructantque incendia vasta.
Naumach., l. VII : Haud mora, terribili bombo sonuere metalla
Mille explosa, volant Vulcano ardente per auras
Mille et mille pilæ, seges ærea et horrida Martis.....
......Et tormentorum fragor horridus.....

Postquam de verbis ipsis dixi, pauca de verborum constructione in *Nanceide* adjicienda sunt. In qua Petrum grammaticis legibus plerumque paruisse non infitiandum est, cum vix pauculos apud eum solæcismos possis carpere :

II, v. 693 : Quam præfecturam me nolente recepi, — pro : *nolens*.

Indicativum sæpius pro conjunctivo jungit in obliqua interrogatione.

II, v. 689 : . . . . videant pastoris nomen an hostis
Promerui..... — pro : *promeruerim*.

Cf. V, 475 et passim.

---

1. Eadem fere vocabula in Laurentii Pilladii *Rusticiade* (cf. caput V) reperies; quibus hic addidit *bombarda* aut *bobarda*. Cf. ed. Dupeux, t. 1, p. 176, lib. I.

> Nam *bombarda* minax emittens pondera ferri
> Mox reboat sonitu, nimbos et fulmine perflat.

Ibid., p. 162. Jaculando saxa *bobarda*, etc.

2. Giannetasio (Nicolo-Parthenio) natus Neapoli, anno 1648, Jesuita. — *Naumachicorum*, libri V, et *Bellicorum*, libri X (1697).

Impersonalia inusitata verba usurpat :

III, v. 300 : . . . . usum est.
IV, v. 453 : . . . . elementum venditur ignem.

Annotavit J. Basinus : « venditur = impersonaliter ».
Adde :

I, v. 580 : . . . . affore presso
Non ausi. . . — pro : *adesse*, etc.

Quatenus vero artis poeticæ præceptis obtemperaverit Petrus breviter edisserendum. Nemo sane est qui, lecta vel paulisper *Nanceide,* non statim offenderit in versus non inconcinnos modo sed etiam asperrimos, ita ut minime dubium sit ei molle illud Maronianum atque facetum Camenas non annuisse. Cujus prosæ orationi vicinius plerumque repit carmen. Versus autem inanibus frequenter et iisdem scrupeis verbis suppletur, multisque in locis his parum canoris farcitur particulis : *hic, hæc, hoc, tunc, nunc,* adeo ut istis numerorum complementis quasi cuneolis coagmentata videatur operosa versus compages. Unum et alterum de plurimis locum afferam :

Nanc., l. V, v. 300 sq. :
Quid tamen *hic* faciam? Frustra oro aut impero. Peccet
Qui volet *hic,* peccet quisquis volet. *Hic* ego frena
Nulla rego spretus, mea spernite jussa precesque,
Et scelus *hoc* vobis dulce ac impune putetur.
L. VI, v. 1046 : . . . . Et *hic est,*
Hic, ait, est princeps, non ausa hæc dicere noster.

Cf. L. III, 680; VI, 1175; III, 645-654, ubi *hoc, huic, huc, hæc* sexies in decem versibus legere est.

Ita illepide et crasse scriptos quosdam versus reperias ut jam nostri non modo pedestris sed etiam claudus sermo vocari possit :

Cf. I, v. 260 : Et quia Parisio tunc acceptissima regi
Spes erat hæc. . . . .
IV, v. 23 : . . . . At harum
Exemplum hic infra est rerum quas nuncius affert.
V, v. 556 : Parisium obsedi, quæ trans hanc gloria? murum.
Gloria quæ trans hanc? Quæ trans hanc gloria?

Nonne hæc vere ferrei poetæ dici possunt?

Aliis quibusdam versibus insulsa quasi annotatio interponitur.

I, v. 268 : Ergo Renatus, *uti supra jam diximus,* hostem, sq.
II, v. 379 : Quæ postquam, *longa ut vitemus verba,* paratu
Armorum, sq.
II, v. 757 : Et, *brevis ut fiam.* . . . .

Gaudet interdum Petrus voces continuare eadem littera incipientes et consonantes non sine puerilitate quadam ter aut quater iterare.

L. V, v. 133-134 : . . . . O mea vestris
Verba velim vinci. Venit quem quærimus. . .
L. V, v. 618 : Norveiosque novo Normannos nomine dictos.
L. III, v. 469 : . . . . . das pro funere funem, etc.

Quod si nimis multa ejus generis exempla afferri facillime possunt, laudi tamen Petro vertemus quod versuum legem in *Nanceide* et in hendecasyllabis pariter satis diligenter observavit et exacta syllabas pensitavit trutina, cum vix paucissima ibi contra prosodiam delicta sint. Quas autem mendas deprehendi eas editori potius tribuendas existimo, utpote quæ Basini diligentiam fefellerint. Ei autem veniam tribuere æquum est quam ipse ingenue imploravit.

Basinus corrector ad lectorem :

Haud bene conspicuis semper servavit ocellis
Inachidem centum lumina pastor habens.
Qui geminis tantum prævitratisque videmus,
His nostris veniam, lector amice, dabis.
Non erit hic emptum labor emendare libellum
Ingens, totus erit et sine labe tibi.

Emendandum igitur, ut placeamus Basino :

II, v. 699 : . . . . . . de ceterŏ. . . . .
IV, v. 320 : . . . . . . vivēmus hoste ex lacero.

Et pauca alia, ut :

. . . . . . prōcul, etc.

1. Forsan notatione haud indigna illa tmesis :

I, v. 631, 632 : . . . . thronoque
Sublimem aurato hunc Burgun statuere diones.

quæ jam legitur in poemate Abbonis monachi : *De bellis Parisiacæ urbis* etc. (L. II, p. 521, ed. *André du Chesne,* MDCXXXVI) :

Consilioque fugæ Burgun adiere diones.

Quamvis salebrosos versus multos in *Nanceide* facile deprehendi posse jure contenderimus, periniquum tamen haberemus eam non adhibere correctionem, non paucos quoque versus ibi animadverti vehementes et nervosius expressos, qui concisa brevitate valeant. Aliquot exempla producam :

Carolus ait :

I, v. 326 : Non atramento exspectet nec arundine rebus
Responsum super his ; rubro responsa cruore
Accipiet, quæ mox ense et scribemus et hasta.
I, v. 56 : . . . . et arma Renati
Extulimus cælo, fragili pro principe fortes.

De Renato Nanceium obsidente :

II, v. 438 : Ergo suam princeps armis quam cinxerat urbem
Oppugnat, civesque bonos invitus ut hostes
Atterit atque suis semet mutilare flagellis
Cogitur. Isque suas cum templis obruit ædes
Et lacerat turres vi fulminis, ac sua vastat
Mœnia, sic bello pius et crudelis eodem est.
V, v. 292 : . . . Mors quid sit vivax agnoscere vultis ?
Corporis hæc non est sed læsi vulnus honoris.

Verborum ipso sono et metri dispositione interdum res narrata exprimitur :

III, v. 172 : . . . . . et stridens jaculis scatet acribus aer.

Cf. III, 321, etc.

Cum ex iis, tum ex supra laudatis exemplis probabiliter conficitur Petrum de Blaro Rivo, quoad ad sermonem et poeticam artem spectat, non vitiorum quidem labem effugisse quibus hæc ætas inquinabatur, sed haud raro æqualibus suis præstitisse et emendatiore plerumque dictione, et imaginandi vi quadam et in eloquendo vehementia. Cui si, feliciore tempore nato sanitas orationis et limatum judicium modusque contigissent, non omnino indignus videretur qui inter recentiores latinos scriptores, vereor dicere poetas, satis honesto poneretur loco.

CAPUT V

QUÆ FUERINT DE NANCEIDE ÆQUALIUM JUDICIA. — PAUCA DE PILLADIO, PETRI DE BLARO RIVO IMITATORE.

De ipsa *Nanceide* satis superque disputatum est. Restat ut inspiciamus qualis fuerit ejus poematis fortuna, quomodo ab æqualibus æstimatum sit, qualesque æmulos Petrus habuerit. Quæ fuerint æqualium de *Nanceide* sententiæ ex his tantum testimoniis quæ in editione sua Joannes Basinus collegit suspicari licet. Quibus si fides habeatur, amplissimum sibi fecit apud Lotharingos nomen *Nanceidis* scriptor, cujus « insigne opus » summis laudibus extollitur in variis ad poetam missis carminibus. Artificiosissime aggeratum poema prædicat Basinus. « Nam « ubi celeritate, ubi tarditate, ubi fremitu vel impetu, ubi gravi- « tate, ubi solercia, ubi denique ceteris ad arma congruentibus « rebus atque modis necesse est, omnia usque adeo tam accom- « mode tantaque cum verborum affabilitate canit ut ignores an « res verbis an verba rebus illustrentur, et proinde in florentis- « simo præclarissimorum poetarum cætu se annumerandum « effecerit meritoque annumerari debeat[1]. » Elegis quoque Basinus mandavit *Nanceidis* præconium, inter quos hos legere est :

Non majore Maro sua concinit arma canore
Quam tu *Nanceidos* prælia, Petre, tuæ.

---

1. *Domino Hugoni de Hazardis Tullensi episcopo et comiti Joannes Basinus Sendacurius.*

Sapphici denique versus præsto adsunt qui summam Basini admirationem lyricum in modum significent :

> . . . . Cecinisse non sic
> . . . . . . Orphea dicas. . . . . .
> Non cheli fas est reserare nostræ
> *Nanceis* quantum tua, Petre, nomen
> Addat autori tibi, quod nec ullum
> Obruat ævum.
> . . . .
> Tu per æternum relegenda sæclum
> Nancei perge [1].

Non necesse arbitramur esse cetera omnia æqualium testimonia percensere immodicis pariter laudibus referta. Inter quæ eminent tumidissima illa Desiderii Boussardi ad Joannem Basinum responsoria epistola et hi inflati elegi :

> Altior Ausoniis frondet Lothoringia silvis,
> Margine Pierio celsior unda fluit.
> Quid moror ! Hic Flaccus erit, hic vel Homerus,
> Nobis aurifluo ditior ipse Tago.... sq.

Quam quidem Joannes Basinus spem conceperat, fore ut hoc « *Nanceidos* insigne opus » ad simile aliquid moliendum excitare cernentes posset, ea illum non omnino fefellit. Nam non dubium est a Laurentio Pilladio Petrum de Blaro Rivo sibi ad imitandum propositum esse, cum *Rusticiadem* scribere agressus est. Res gestas Antonii ducis canere suscipienti ante oculos versabatur Petri epos quod nonnihil gloriæ Lotharingiæ contulerat, egregiis Renati memoratis facinoribus.

De ipso Pilladio pauca præfanda sunt, in quo a plerisque personarum discrimen male servatum est. Fere omnes qui de *Rusticiade* locuti sunt hujus poematis scriptorem arbitrantur fuisse Laurentium Pilladium, Petri de Blaro Rivo amicum, cujus epitaphium composuit. Nuper autem demonstratum est [2]

---

1. Joannis Basini Sandacurii in magnificas historiæ *Nanceidos* laudes:
2. G. Save, *Bulletin de la Société philomathique vosgienne*, 1890. — *Vautrin Lud et le Gymnase vosgien.*

illum, Deodatensem canonicum anno MCCCCXCVIII cooptatum, anno MDXIV decessisse. *Rusticias* vero anno MDXLI scripta auctorem habuit Laurentium Pilladium juniorem, senioris Pilladii fortasse nepotem, anno MDXVII canonicum factum et anno MDLXXI vita defunctum. Qui, incertum quo anno, in vico Ponti Musioni proximo natus, presbyter Curticulæ [1] fuit. Hunc vero « altiloquum » ab æquali suo Adamo *Bergier* appellatum notum sola facit apud nos *Rusticias* ea, qua cruentam de Lutherianis Alsatiæ et Germaniæ Rusticis ab Antonio duce anno MDXXV relatam victoriam celebravit [2].

Pilladio eamdem opem quam Petro Basinus commodaverunt Christmannus et Joannes Herculanus (*Herquel*) [3], Deodatenses canonici, qui *Rusticiadis* versus poliverunt et male tornatos incudi reddiderunt [4]. Atque utinam diligentius hac cura functi essent! Non tot mendis in hoc poemate offenderemur, in quo nimis multi versus claudicant, nutantibus syllabis. Divoduri Mediomatricum in anno MDXLVIII primum edita est *Rusticias* [5].

---

1. *Corcieux (Vosges)*.
2. *Rusticias* in sex libros digesta est.
 I. Belli causæ et primordia.
 II. Rusticorum vastationes et rapinæ. Brubacius ab iis capitur. Exercitum in expeditionem educit Antonius.
 III. Sabernia a Lotharingis obsidetur.
 IV. Apud Lupstenum pugna.
 V. Saberniæ deditio. Gerberi, Rusticorum ducis, supplicium.
 VI. Redintegrantur prælia. Novissima Antonii apud Chervillam victoria.
3. Hic *Vitam Antonii ducis* latine scriptam reliquit, quam retulit *D. Calmet* (*Histoire de Lorraine,* t. VII, ed. 1757) et composuit : *Antiquitates Vallis Galileæ* (1550).
4. Cf. *Ad illustrissimum Carolum, Lotharingiæ et Gueldriæ Ducem, Laurentii Pilladii, Vogesicolæ, in carmen* Rusticiados *a se lusum dedicatio* (p. 94, ed. *Dupeux,* t. I).
5. RUSTICIADIS INDEX BIBLIOGRAPHICUS. — Nullus exstat aut saltem notus est *Rusticiadis* Codex.
Anno MDXLVIII primum edita est : « Laurentii Pilladii, canonici Ecclesiæ « Sancti Deodati, *Rusticiados* libri sex, in quibus illustrissimi principis An- « tonii, Lotharingiæ, Barri et Gheldriæ ducis, gloriosissima de seditiosis Al- « satiæ rusticis victoria copiose describitur. »
Metis, ex officina Joannis *Palier.* 1548. *Rusticiadem* rursus ediderunt *D. Calmet* (*Histoire de Lorraine,* 1751, t. IV), et in hoc sæculo, *F. R. Dupeux,* cum gallica translatione :
« *La Rusticiade ou la Guerre des paysans en Lorraine,* traduite par F. R. « Dupeux. — Nancy, Berger-Levrault et Cie, 1876. 2 vol. in-16. »

Non in contextum opusculi mei venit de *Rusticiadis* argumento vel de hujus poematis vitiis virtutibusque peculiariter disputare. Hoc unum non ab re esse videtur, scilicet comprobare Petri nonnullis in locis Pilladium vel æmulum vel saltem memorem fuisse.

Nonnunquam de Caroli clade commonet nos *Rusticiadis* scriptor, præsertim in his versibus libri II, p. 248, t. I (*Dupeux*), v. 15, sq :

Carolus, horrendo belli fulgore coruscus,
Præclarus titulis Princeps Burgundio multis,
Quo bellante potens late Germania regno
Pertremuit pallens et quilibet angulus orbis,
E campo Martis Ludovicum cedere regem
Gallorum ætheria quondam super Alpe coegit;
Parisium obsedit, numerosa gente potentem,
Flumine Sequaneo qua se Matrona recondit,
Divitis Europæ multos finesque lacessit;
Post tamen ille ducum celebres regumque triumphos,
Qui fuerat mundo propriis et civibus horror,
Venifluo nostros fœdavit sanguine fines,
Adduxitque suis lacrimas memoremque dolorem. ... sq.

Nonne ibi quosdam agnoscis *Nanceidis* versus? (*Caroli ex oratione.*)

Nanc., V, v. 543 :
Regem ipsum grandique animo sua bella regentem
Detorsi et Martis campo cessisse coegi.
v. 554 : Et qua Sequaneis sese Matrona profundus
Miscet aquis, campo metatus castra patenti,
Parisium obsedi.
v. 492 : Divitis Europæ quis nostro est angulus ensi
Intactus ?
v. 524 : . . . . ego civibus horror.

Renati victoriæ in hoc quoque versu alludit Pilladius :

T. I, p. 256, v. 13 : *Et gladios gestant Burgunda cæde madentes.*

Fœdus olim a Renato cum urbe Argentorato ictum memoratur. (T. I, p. 336, v. 2 sq.) Denique in *Monodia* super funere Geldriæ

Philippes, Renati uxoris (T. I, p. 72) quasi summam *Nanceidos* paucis versibus adumbratam invenias. (Cf. L. I, p. 100, v. 17, 18.)

Quemadmodum vero Petrus Renati equum Dominam, ita et Antonii equum, iisdem interdum verbis descripsit Pilladius :

Cf. *Rustic.*, l. I, p. 166, v. 8 sq. :

Alipedem conscendit equum fortemque lupatum
Mitigat; ille autem tanto ductore superbit;
Irrequietus enim spumantia frena remordet,
Hinnitu tremulo ridens et sidera pulsat.

L. II, p. 254, v. 15 : . . . . *qui sufflat naribus auras*
Omnisonaque ferox diverberat aera voce.

Nanc., VI, v. 342 :

Et cultum se novit equus, sessore superbus
Magnanimo subter certus quem devehat armo,
Et tremulo ridens hinnitu naribus auras
Afflat et altisono cælum transverberat ore.

Conferre quoque licet quæ Petrus et Pilladius de Sancto Nicolao de Portu scripserunt :

Rustic., l. II, p. 204, v. 11 sq. :

Felix villa jacet, solo defensa patrono,
(Nam grandem molem murorum respuit audax)
Numine pontificis cives qui servat inermes,
Quam Portum veteres prisco cognomine dicunt.
Respicit Eois Nanceia non procul oris
Mœnia. . . . .

V. 20 : *Myrea fuerat sanctus qui præsul in urbe.*

Nanc., VI, v. 69 sq. :

Est prope Nanceiam, passus ad mille bis, urbem
Eoo accedens pagus qui nomine dictus
Olim Portus, habet nunc divi nomina patris. . .
Non habet is murum. Solo defenditur hujus
Pontificis digito. . . . . .

v. 34 : . . . . **Mirrheæ præsul et urbis.**

In utroque poemate armis ante prælium a duce cinguntur equites.

Rustic., l. VI, p. 190, v. 6 :

Tum juvenes princeps donavit munere multos
Militiæ, quibus instruit onera cuncta repente :
« Miles enim, dixit, nullus præclarus habetur,
Divinæ fuerit ni relligionis amator,
Oppressamque sua viduam ni protegat arte,
Pupilli flentis ni sublevet atque dolorem ;
Prædonis nomen miles fugiatque nefandi,
Præfulgens virtute pia devincat et omnes,
Militis aut non est generoso nomine dignus. »

Nanc., l. VI, v. 69 sq. :

. . . . multique sacratæ
Munere militiæ donantur, et ensibus icta
Colla velut mos est; referunt sine vulnere nomen
Militis ac fasces quos ordo expromit equester[1].

Hæc exempla satis valere existimo ad confirmandum *Nanceidis* imitationem nonnullis in locis *Rusticiadis* posse deprehendi.

Alia etiam communia habent hæc duo poemata, in sex libros pariter divisa. Ut Petrus de Blaro Rivo, narrationi suæ verbosas orationes multas inseruit Pilladius; crebra quoque epiphonemata usurpavit et in patulo sententiarum orbe libenter moratus est. Pluribus tamen inter se duos scriptores differre facile conspexeris.

Si materiam ipsam poematis intuearis, multo magis quam *Nanceis, Rusticias* panegyrici carminis nomine appellanda videbitur, cum nullam prætermiserit Pilladius occasionem laudibus extollendi Antonium primum, deinde omnes ejus cognatos affinesque, his adjunctis equitibus, episcopis, ducis consiliariis, ita ut tota Nanceii aula ibi non sine quadam adulatione prædicata sit[2]. Verecundiorem in laudando Petrum fuisse non est infitiandum.

Quod si ad miracula et ad deorum ministeria attendas, notatione dignum videbitur Pilladium, quod quidem canonicum decuit, multa exempla et similitudines a Vetere et a Novo Testamento sumpsisse, quorum utrumque, paucissimis exceptis

1. Vide sq. p. 57.
2. Cf. p. 196, t. I, et passim.

locis, fere ignorari a Petro credas. Vide ut apud Pilladium occurrant Sennacheribi exercitus ab angelo interfectus (t. I, p. 174); Christus in præsepiis nascens (t. I, p. 238, v. 16 sq.), aut in cruce fixus (t. I, p. 240-42, v. 20 sq.); Misael, Azarias et Ananias (t. II, p. 8, v. 19; t. II, p. 50, v. 8); Judas Machabæus (t. II, p. 182, v. 14); Othoniel, etc. Quanquam autem, ut Petrus, christianæ fidei miraculis veterum fabulas Pilladius miscuit[1], animadvertes apud eum efficaciora a diis ministeria præstari quam in *Nanceide*, ex qua dæmonum ille princeps Satan exsulat. In *Rusticiade* contra Erebi regnator identidem inducitur qui rebellibus rabiem suam et venenum inspiret. Immo longas apud infernos deos contiones habet eosque hortatur ut sopitam Hæresim excitent et per Germaniæ urbes novum disseminent furorem. (Cf. L. I, v. 33 sq.; L. III, v. 1 sq., etc.) Inde etiam falso creditum est id Pilladio laudis contigisse ut eum Torquatus Tassus sibi ad imitandum exemplar proponeret[2].

Hoc præsertim, si ad dicendi formam venias, inter Petrum de Blaro Rivo et Pilladium interest quod hunc multo magis ad poetarum latinorum, Virgilii in primis, imitationem se contulisse manifestum est. Quis autem mirabitur, hac ætate qua cum maxime vigeret veterum poetarum quasi cultus, cum omnes eruditi viri in Græcorum Romanorumque æmulationem pari studio consurgerent, Latinorum, ut aiunt, vatum principis Pilladium, licet claudicantem, vestigiis institisse? Scatet *Rusticias* Virgilianis centonibus, cum vix paucos ex *Nanceide* excerpserimus. Nonnulla exempla afferam :

1. Furiæ (I, p. 274); Pluto (p. 68, 2); Cyclopes (p. 258); Fides (p. 346); Crucifex (t. II, p. 222), etc.

2. Verisimile est Pilladium et Tassum de eodem fonte hausisse, id est de Marci Girolami Vidæ *Christiade*.

Conferri possunt inter se, exempli gratia : Pilladius. *Rusticiadis*. L. I, v. 33, 37, 40, 41, 45, 48, 50, 53, 66, 67, 70, 92, 94, 99, 107.

Vida. *Christiadis*. L. I, 32, 33, 138, 139, 142, 147, 164-167, 176, 177, 220, 222, 226.

T. Tasso. *Gerusalemme liberata* : Canto IV, III, 17, 19, 34, 38. Canto IV, IX, 65, sq.

Pilladius. L. III, 87-89, 104, 108, 121, 122.

Vida. L. II, 24, 27-29, 34, 109.

Rustic., I, p. 118, v. 16 sq. :

Sic durus Phlegyas glacialis Apollinis ædes
Incendit sacras ; hinc Ditis trusus ad antra
Admonet ingenti gemitu crudelius umbras
Justitiam discant, nullos et temnere divos.

Cf. *Æn.*, VI, v. 618-620.

Rustic., l. I, p. 136, v. 6 :

Multa super vulgo rogitans, super agmine multa.

Cf. *Æn.*, I, v. 750 :

Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.

Rustic., l. II, p. 220, v. 20 sq. :

Silva patet, late fagis frondentibus atra,
In qua præduri crescebant undique sentes,
Nullaque lucebat per calles semita cæcos.

Cf. *Æn.*, IX, v. 380 sq. :

Silva fuit late dumis atque ilice nigra
Horrida, quam densi complerant undique sentes ;
Rara per occultos lucebat semita calles.

L. III, p. 336, v. 3 : . . . . . dum prima tegeret lanugine malas.

Cf. *Æn.*, X, v. 324 : . . . . . *flaventem prima lanugine malas.*

L. IV, t. II, p. 2, v. 7 : Ille suam patriam dulces et linquere fines.

Ecl., I, v. 3 : *Nos patriæ fines et dulcia linquimus arva.*

Alios quoque versus exscribere liceret, e quibus potest colligi Ovidium et Lucanum non ignotos Pilladio fuisse :

Rustic., l. III, t. I, p. 336, v. 20 :

Postea consedere duces equitumque corona.

Cf. Ovide, *Metam.*, XIII, v. 1 :

Consedere duces et vulgi stante corona.

Rustic., l. II, p. 218, v. 3 :

Quem revocare nequit, quamvis sit languidus ævo,
Arte parens nulla nec fletu flebilis uxor.

Cf. Lucan., *Phars.*, I, v. 504 :

. . . . *Nullum jam languidus ævo*
Evaluit revocare parens, conjuxve maritum
Fletibus.

Ita, magis quam Petrus de Blaro Rivo, in imitatione Latinorum poetarum versatus, Pilladius puriorem sermonem consecutus est, nec adeo obsoletis aut infimæ latinitatis verbis inquinatum, quæ laus ætatis potius quam scriptoris forsitan est. Quo fit etiam ut molestiora nobis sint quæ contra prosodiam sæpius deliquit[1], cum contra ejusmodi mendas admodum raro in *Nanceide* deprehendamus.

Summa vero hujus collationis huc spectat ut sine dubio affirmare audeam longe inferiorem Petro Pilladium evasisse, si rationem temporum habeas, et ipsa poematis materia et impetu et rei metricæ scientia, quanquam in *Rusticiade* minus corrupta est latini sermonis integritas et inde nonnulli possunt excerpi loci non ineleganter scripti. Æquum est quoque laudi Pilladio vertere quod non, ut Petrus, insulsis facetiis indulsit[2].

---

1. ***Rusticias,*** t. I, p. 118, v. 20, obs*e*rant; p. 144, v. 6, st*a*tim (***aussitôt***); p. 164, v. 6, ne forte t*a*bescat; p. 184, v. 11, mir*a*culumque pium; p. 188, v. 2, donis *u*bique furatis; p. 192, v. 15, ubi Falconaria s*e*det; p. 212, v. 5, cum t*o*t heroum; p. 228, v. 21, Huic noxæ *a*peruit; p. 232, v. 5, Quod ubi cognovit; p. 238, v. 9, Sic sitit arden*te*r æternum; p. 268, v. 2, tetig*e*ritis alis; p. 274, v. 10, in culmine r*o*tæ; ***ibid.,*** v. 12, l*e*varit; p. 280, v. 17, quod facil*e* sequitur; p. 284, v. 11, Aucupis *a*mœnum; p. 294, v. 4, te tr*a*dat; p. 308, v. 15, auxilio v*e*nerant; p. 310, v. 4, non pert*i*mescis; ***ibid.,*** v. 11, demens d*e*nuo; ***ibid.,*** v. 18, c*o*piosius; p. 318, v. 4, A celso veniet s*e*verus; ***ibid.*** v. 6, n*o*tas et terge priores; p. 324, v. 3, tunc somnus compr*i*mebat ocellum; p. 336, v. 4, eff*u*gia quærens.

T. II, p. 2, v. 6, vind*i*care nefas; p. 6, v. 19, defendere v*e*tuit ætas; **p. 16,** v. 12, et multo m*u*niunt; ***ibid*** , v. 20, sic m*u*tuis odiis; p. 26, v. 3,

Guisius, ut spumantis equi s*a*livit in armos.... ;

p. 28, v. 7, cæl*i*tum quoniam; p. 33, v. 1, mort*i*fera; p. 44, v. 11, belli fr*a*gore ferocis; p. 56, v. 5, nequiter p*a*rata; p. 58, v. 21, tecta r*e*pat; p. 62, v. 2, atque m*a*lunt; p. 64, v. 2, infaustæ pr*o*rogas; p. 72, v. 9, quæ c*o*gito; p. 84, v. 14, Marte v*e*loci; p. 108, v. 4, hortaturque f*a*ri; p. 114, v. 6, cont*a*buit; p. 124, v. 5, comm*o*vet prælia; p. 156, v. 19, ad castra t*u*tanda; p. 166, v. 14, in trinas acies div*i*ditur illic; p. 172, v. 16, corn*i*cen; p. 180, v. 18, fec*e*rint h*e*r*o*es patriam; p. 182, v. 10, *a*n exspectandum; p. 190, v. 5, sedare sitim l*i*beralius omnes; ***ibid.,*** v. 7, subito compr*i*mere fecit; p. 200, v. 3, ne sic multos aff*i*ceret hostis; p. 218, v. 15, Christo j*u*vante; p. 222, v. 17, per fortia castra c*e*dendo; ***ibid.,*** v. 19, Dum d*i*micant acies; p. 238, v. 5, r*e*peritur cæsus; p. 238, v. 15, postquam per*e*gerunt ordine cænam; p. 250, v. 14, hæc l*u*gubrem vestem.

Nonnulla sine dubio in hac enumeratione præterita sunt : sed hæc per se jam satis valere arbitror.

2. Mirum est neutrum ullam mentionem injecisse illius Joannæ *d'Arc* qua gloriatur Lotharingia, cum bella narrantes quibus insignita est hæc provincia res ipsa eos Aurelianensis puellæ commonere videretur.

Jam post editam *Rusticiadem* nullis aliis poeticis monumentis commemoratam *Nanceidem* invenimus, nisi quod eam versibus gallicis vertit, in extremis sexti decimi sæculi annis, Nicolaus Romanus, doctor in utroque jure, Francisci [1], Vademontis comitis consiliarius [2].

Quæ translatio Ronsardi imitatorem arguit et fidi interpretis diligentiam præ se fert magis quam poetæ vim et orationis nitorem.

Inde saltem colligere licet, quamvis unum jam sæculum ex quo orta erat *Nanceis* effluxisset, tunc etiam satis ejus famam viguisse ut digna visa fuerit quæ gallice verteretur. Deinceps vero, inquam, nullis fere [3] litterarum monumentis commendatum Petri de Blaro Rivo opus invenias. Nulla jam ad ejus imitationem poemata finguntur. Si qua etiam carmina apud Lotharingos edidit Latina Musa, quæ, etsi epica appellari nequeunt, patriæ tamen res gestas referunt vel potius ærumnas deflent, cum ibi nulla cum *Nanceide* affinitas dispiciatur, non hic est locus ut de iis disseramus [4].

---

1. Is Caroli IV ducis pater fuit.

2. Idem scripsit : *Mauricium,* tragœdiam Francisco Lotharingiæ duci dedicatam (1606). (Cf. Beaupré, *Nouvelles Recherches sur l'Imprimerie en Lorraine,* ch. III.) ; et pastorale carmen (1602) ita inscriptum : « *La Salmée,* « *pastorelle comique ou Fable bocagère sur l'heureuse naissance du fils* « *premier à Très hault et Très généreux Prince Monseigneur de Vaudémont* « *François de Lorraine, par Nicolas Romain, natif du Pont-à-Mousson,* « *Docteur ès Droictz et secrétaire de Mondict Seigneur, au Pont-à-Mousson,* « *par Melchior Bernard, imprimeur de Monseigneur le duc de Lorraine.* »

3. In codice inscripto : *Traité des armoiries et devises des ducs de Lorraine* (XVII sæculi. Bibliotheca societatis dictæ : *Société d'archéologie lorraine*), aliquot *Nanceidis* versus laudantur. (Cf. Rouyer, *op. cit.,* 1883, p. 214.)

4. Nanceium a Ludovico XIII expugnatum, Francorum, Hispanorum, Austriacorum Suecorumque atrocia facinora. rapinas et vastationes, famem extremam et pestilentiam sævientem deploravit CCCLXXXIV alternis versibus longiusculis Joannes *Heraudel,* Nanceiensis causidicus. (*Deplorandi Lotharingiæ status ab aliquot annis elegia in qua videre est quid passa sit peste, fame, bello, etc.* Nanceii, apud *A. Charlot,* typographum, MDCLX.)

Eversa a Ludovici XIV militibus Nanceii mœnia, ex fœdere quod in mense Februario anni MDCLXI apud Vicenarum nemus (*Vincennes*) pactum est, lamentatus est auctor poematis quod inscribitur : *Ilias Lotharingica sive Nanceianum excidium.* Quod poema a *D. Calmet* editum (*Histoire de Lorraine,* t. VII, col. 118 sq., ed. de 1757 ; Nancy, veuve A. Leseure) nonnullis indiciis adductus sum ut P. Donato adscriberem, qui Caroli IV conscientiæ sacer arbiter fuit. Nongentos circiter hexametros versus *Ilias Lotharingica* complectitur.

CAPUT VI

CONCLUSIO. QUALEM LOCUM OBTINEAT PETRUS DE BLARO RIVO INTER ÆQUALES POETAS QUI CAROLI CLADEM CECINERUNT.

Si quæ omnia supra disputata sunt breviter contrahere velim, mihi forsitan consentietur dicenti *Nanceidem,* quamvis multis maculis conspersam et pravo judicio sæpius corruptam, ambitiosis ornamentis nunc fucatam, nunc nimis ad annalium nudam diligentiam se accommodantem, non tamen prorsus indignam esse quæ ex oblivione eruta sit. Cum rem immensi operis suscepisset Petrus de Blaro Rivo, fatendum est saltem eum incepti, quod aggressus nimia confidentia erat, partes perfecisse, nec omnino infra materiam jacuisse. Qualecumque autem de ejus poetica facultate judicium feretur hoc ei tribuatur necesse est quod pro sua copia destinatum argumentum enisus est tractare, Marte suo, ut dicitur, et nullis fretus adminiculis nisi annalibus quibusdam et æqualium testimoniis. Nullum enim scriptorem invenimus ad cujus imitationem se peculiariter contulisse Petrus videatur, nullum poetam, cujus contracta vestigia secutus sit. Quam raro Virgilii vel veterum poetarum meminerit jam antea animadversum est, atque utinam plura ab iis excerpsisset! Quod ad recentiores poetas attinet, non magis ullum ab eo sibi ad exemplar constitutum esse credam.

Non enim mihi nec iis qui *Nanceidi* operam dederunt, inter quos in primis viros doctos, *C. Schmidt* et *J. Rouyer* nominare par est, compertum fuit a quolibet medii ævi aut quinti decimi

*

sæculi poeta aliquid Petrum mutuatum esse. Certe nullam nostro cognationem esse cum cyclicis scriptoribus qui Caroli, aut Arthuri aut Trojanorum res gestas cecinerunt, nemo est qui non videat. Præterea notum est quantum, ineunte sexto decimo sæculo, jam sorderent et neglecta jacerent heroica illa poemata. Nusquam autem *Nanceidem* perlegenti Caroli Magni, Rolandi et tot heroum nomina occurrent.

Nec magis arbitratus fuerim Petrum ante oculos habuisse historica illa poemata quibus præclare facta regum versibus nunc gallicis, nunc latinis a clericis referebantur. Quæ omnia inquirere et legere infinitum et odiosum fuisset. Quædam tamen inter notissima evolvi, in quibus nulla cum *Nanceide* nisi fortuita et ex argumentis ipsis nata similitudo mihi apparuit.

Ex hoc numero est Abbonis monachi *De Bellis Parisiacæ urbis et Odonis comitis* poema[1]. Nihil autem ibi habes nisi chronica male tornatis versibus scripta, quæ quemadmodum historiæ conditori utilia sunt, ita a poesi procul abhorrent. Vix paucula reperias quæ cum *Nanceide* communia dici possint.

Abbo, l. II, p. 516 (ed. *A. Du Chesne*):

Inque suos nitens, Sequanam transire, Danorum
Rex Sinric, geminis ratibus spretis, penetravit
Cum sociis terram quinquagenis, patiturque
Naufragium; medio fluvii fundum petiturus,
Quo fixit comitesque simul tentoria morti.
Hic sua castra prius Sequanæ contingere fundum
Quo surgens oritur, dixit, quam linquere Regnum
Francorum, fecit Domino tribuente quod inquit.

Cf. *Nanc.*, v. 620 sq. :

Talia confirmans e cælo verba deorum
Rex deus : « hac, inquit, semper tellure manebis »... sq.

Abbo, l. II, p. 511 : *Vulcano periit claudo Neptunus inermis.*

Nanc., III, v. 124 : Vincere tum Thetim certat Vulcanus....
V. 237 : .... nec habes, Neptune, tridentem.

1. Quod ediderunt *André Du Chesne* (Paris, Séb. Cramoisy, MDCXXVI) et *Dom Bouquet* (*Recueil des historiens des Gaules et de la France,* 1752, t. VIII).

Cf. denique hanc jam notatam tmesin : *Burgun statuere diones*, et *Nanc.*, I, 630.

Nulla rursus deprehenditur affinitas inter *Nanceidem* et cetera poemata in quibus duodecimi et tredecimi sæculi eventa narrantur. Mitto igitur et Ægidium Parisiensem qui *Carolinum* scripsit, Nicolaum de Braia qui Avenionis obsidionem et mortem Ludovici VIII retulit, Guntherum, qui de bellis a Frederico I imperatore gestis *Ligurinum* composuit[1], et nobiliorem illum *Philippidis* conditorem, Guillelmum Britonem[2], quorum ex operibus, si forte ea legerit, nihil delibasse videtur Petrus. Ne hausisse quidem eum contenderim quidquam ex *Alexandreide* Gualtheri de Castellione sive ab Insulis, quæ heroici carminis opus perfectissimum in medio ævo habita est et magna laude floruit[3]. Quanquam eadem interdum verba usurpavit noster, sed ea quæ infimæ latinitatis, non unius scriptoris essent.

Quapropter de suo pleraque deprompsisse Petrum existimandum est, ut illud « insigne *Nanceidos* opus » ederet. Quod, qualecumque est, sine dubio ceteris hujus ætatis de Caroli cladibus et morte comparatum, facile primas laturum est. Nullum enim tam copiosum reperias, nullum in quo incorruptius rerum fides servata sit, nullum denique quod ad materiæ dignitatem propius accesserit, quanquam et ipsum inferius jacuisse confitendum est. Quas autem coarguimus mendas, eæ minus oculos lædunt cum iis obversantur aliorum hujus temporis poetarum vitia, putiditas, ampullæ, ambages et arcessiti sermonis obscuritas.

Non inopportunum videbitur æqualium de eodem argumento carmina breviter recensere et æstimare, Petrique *Nanceidem* cum iis in collationem quamdam adducere quæ, ni fallor, nostri nullo incommodo detrimentoque fieri potest.

---

1. *Guntheri Poetæ clarissimi Ligurinus seu opus de rebus gestis Imp. Cæsaris Frederici I Aug. Lib. X absolutum* (1531). Idem et « *Solymarium* » composuit. Cf. Wattenbach : « Le *Solymarius* de Gunther de Pairis », dans *Archiv. Soc. Orient latin*, 1881, I, 551-561.

2. Cf. *De Philippide Guillelmi Britonis* thesim latinam a C. A. Gidel scriptam (1857). *Œuvres de Rigord et de Guillaume Le Breton*, publiées par F. Delaborde, t. II ; Renouard, 1885.

3. Cf. L. Bellanger, *De M. Gualthero ab Insulis dicto de Castellione* thesim latinam (1877).

Ante omnes de Caroli strage apud Moratum LXXIV latinos versus Jacobus *Wimpheling* Slestatensis composuit[1], in quibus (mirum!) de Helvetiis siletur, cum Rhenanis Germanis laus omnis victoriæ tribuatur[2]. Quam illiberalibus jocis hoc carmen conditum sit et quam atroci gaudio in hac Burgundorum cæde exsultet scriptor pauci versus satis docebunt.

DE STRAGE DUCIS BURGUNDIÆ ANTE MURTHEM OPPIDUM.

V. 1 sq. : Jamne tibi dulces nostri sunt, Karole, pisces?
Suntne tibi sapidæ, quas præbuimus modo, ficus?
Credo, tibi fauces languent, læsoque palato
Degustare cibos non possis ipse suaves.
Si tibi gustus abest, linguam rasisse decebit.
En prius æquales tibi nos porreximus escas
Sat sale conditas : tamen insatiabilis alvus
Denuo repleri cœna majore petivit.... sq.

Ita de Burgundis lacu immersis loquitur:

V. 52 sq. : Cetera turba tuæ, dux o præclare, cohortis
Immensos repetisse lacus, ha! concito visa est.
Namque oblectari te piscibus accipiebat:
Præterea vetuit eadem lux carnibus uti.
Sed grandis mœror, immensum dedecus, undis
Frenavisse sitim, vitam quoque claudere limphis,
Dum parvo constent celeberrima pocula Bacchi.

De Renato hunc unum versum excerpere licet:

V. 24 : Et dux Calabriæ summis conatibus audax.

Petrus *Schott* autem canonicus, cui hoc poematium alterumque de *Hagenbach* supplicio Jacobus *Wimpheling* miserat, eum effusis laudibus extulit vehementerque hortatus est ut carmen de Caroli apud Nanceium clade componeret[3]. Quod consilium utrum exsecutus Jacobus sit necne, in dubio relictum est.

---

1. Cf. Schmidt, *Histoire littéraire de l'Alsace*, t. I, p. 165.
2. Hi versus editi sunt a *Meyer von Knonau*. (*Anzeiger für schweizerische Geschichte*. Jahrgang 1870-1873, p. 315.)
3. P. Schott, *Lucubratiunculæ*, f° 1625.

Jacobi vero præceptor, Ludovicus *Dringenberger*, hoc argumentum brevissimo et aridissimo poematio tractavit quod inscriptum est: *De occubitu ducis Burgundiæ*[1]. Quam aspere et jejune et parum emendate ibi res apud Nanceium gestæ narratæ sint, ex his paucis versibus satis manifestum erit:

V. 27 sq. : **Oppida sunt tria, quæ sibi tum damnosa fuere;**
In rebus Gransen, grege Murthen, corpore Nansen.
In primis fuga sola salus, quæ fine fefellit:
More canis moritur, qui strenuus ante timetur.
Commendans dominum, Karolum qui stravit in ymum,
Non ego, sed dominus devicerat hunc — ait ursus.

Ex istis poematiis nihil utilitatis cepisse Petrum liquet, si ea saltem nota habuerit.

Quod si nunc ad eos transeas qui Gallicis versibus Caroli mortem celebraverunt, nullum memoratu dignum occurret carmen aut quod *Nanceidi* antecellere merito dicas. Vide enim quam affectatis ambagibus per ἀλληγορίαν Oliverius *de la Marche* Caroli descripserit interitum. In hoc enim poemate quod: *Le Chevalier délibéré* inscribitur, ubique fastidium afferunt importuna illa medii ævi subtilitas et perplexæ figuræ. De Burgundorum duce hic locus est, cujus initium, si quis statim desideret, exscribam[2].

P. 78 sq. (ed. 1844) :

COMMENT LE DUC CHARLES DE BOURGOGNE COMBATYT ACCIDENT.

A peine fut leve le corps[3]
Ou du moins en sepulcre mis
Que ioys le bruit par dehors
De deux osts trespuissans et fors
Chascun pare de ses amis.
Accident le premier je viz

1. XXXII tantum versibus scriptum. (Vide *Meyer de Knonau, op. cit.*, p. 319.)
2. *Le Chevalier délibéré, comprenant la mort du duc de Bourgogne qui trespassa devant Nancy en Lorraine.* Fait et composé par messire Olivier de la Marche. (Schiedam, 1483, in-4°. — Rursus editum a *Crapelet*, Paris, 1842.)
3. Philippi, Burgundiæ ducis.

Qui sur le renc se vint embatre
Monte et arme pour combatre.

Cheval ot barde darrogance
Son harnas trempe de courroux
Malheur avoit ferre sa lance
Lespee fut doultrecuidance
Dont mains a batus et escoux
Et pour donner les rudes coups
A son arson pend une masse
De fortune qui tout amasse.

Daultre part sault ung bourguignon
Charles qui fut prince double
Et ressembloit bien compaignon
Qui vouloit avoir sa raison
Au plus pres de sa voulente.
Son cheval sappeloit fierte
Et fut arme entierement
Dung harnas fait par hardement.

Sa lance fut de haulte emprise,
Grant cuer lui donna son espee,
Le forgeur s'appeloit maistrise,
Sa dague se nommoit franchise
Pour estre vainqueur de l'armee.
Quant ieus sa façon regardee
Vice ie ny peus percevoir
Fors seullement de trop vouloir, etc.

. . . .

La mort. Le duc Accident rebouta
Jusques Fortune vint en place
Dont Accident tel cop donna
Que Mort a terre tresbucha
Le duc a qui Dieu pardon face.
De ce malheur ie me solace
Quil morut pour non faire faille
Dedans le champ de la bataille, etc. [1].

---

1. Nec hic est locus ut loquamur de carmine contumeliis pleno quod Francus quidam poeta de Caroli morte condidit : *Nouvelles portées en Enfer par ung herault de la mort du feu duc de Bourgogne, le jour qu'il fut tué en bataille devant Nancy*. V. Leroux de Lincy, *Chants hist.*, t. I; Lenient, *op. cit.*, p. 450.

Nihil vero obscurius et tortuosius et magis ambagibus implicatum concipere possis quam opus quod prosa oratione et versibus mixtum de Caroli interitu Joannes *Molinet* condidit. In quo, quamvis : *Le Trespas du duc Charles* inscriptum sit, nullam fere rem invenias quæ certa et definita sit. Omnia figurata et ambigue expressa. Arbori scilicet proceræ cuidam comparatur Burgundiæ domus :

« N'y a pas dix ans que au tres fructueux et opulent vignoble de Bour- « gongne fleurissoit un gros arbre de mirable altitude, fort aorné de pré- « cieuses vertus..... »

Sed invidentes dii hanc mirabilis altitudinis arborem Marti dejiciendam tradunt, cujus humi jacentis ita fatum deploratur :

Cy gist la fleur du royal parentage,
L'arbre d'honneur, de vertu le plantage,
L'ardant rainceau, l'esprit de hault prétendre,
Qui, non content de son propre héritage,
Gaigna la mort pour soy trop long estendre.

. . . .

Arbre benoist, vif estocq glorieux,
Tronc précieux paré de verd ramage,
Ton noble fruict est tant fort gracieux,
Tant somptueux que tous chevaleureux,
Preux, valeureux, te doivent faire hommage.

. . . .

Puis vers sapins, haulx cèdres et cyprès
Qui sont cy près ne sont que longs fétus
Auprès de toi qui embellis ses prés [1].

Plura exscribere supersedeo, cum satis ex iis versibus manifestum sit quantum inanitatis et vani habeat hæc tumida declamatio. His omnibus carminibus superiorem evasisse *Nanceidem* facile, ut arbitror, concedetur.

Cum vero ad eos scriptores veneris qui soluta oratione res

---

1. *Les Faicts et dicts royaulx de feu de bonne memoire maistre Jehan Molinet, contenant plusieurs beaulx traictez, oraisons et champs royaulx.* Paris, 1540, p. 66 à 77.

easdem narraverunt, unus tibi, inter Petri æquales, apparebit quem ei, cum dicendi virtutibus, tum sententiarum gravitate et ingenii acumine, præstitisse dicas, Cominius videlicet, qui notissima illa de Caroli morte et de divinæ providentiæ in eo consiliis in Commentariis suis disputavit[1].

Ut vero, Cominio comparati, languent ceteri annalium conditores[2]! Quam pauca et jejuna[3] notat de tanti momenti eventu Oliverius *de la Marche,* qui tamen memorabili apud Jarvillam pugnæ interfuerat[4]! Raro assurgit Joannes Molinæus qui, Castellani chronica persecutus, Caroli mortem retulit. In hac tamen narratione concedendum est eum a solitis ampullis et inusitato putidoque dicendi genere interdum temperavisse, et quædam simplici atque in promptu posito sermone expressisse[5].

Nec jam propositi nostri est *Nanceidem* cum historiis conferre, quas multi de rebus apud Nanceium gestis postea scripserunt. Hoc tantum annotare liceat. Si quis de Caroli strage et morte vere epicum poema quæsierit, nullum hoc titulo dignius apparebit opus quam quod prosa oratione *Michelet* noster de Ludovici

---

1. *Mémoires de Philippe de Comines,* l. V, ch. VIII : « Comment le duc « de Bourgongne, n'ayant voulu suyvre le bon conseil de plusieurs de ses « gens, fut desconfit et tué en la bataille que luy livra le Duc de Lorraine, « près Nancy. »

Ch. IX : « Digression sur quelques bonnes mœurs du Duc de Bourgongne, « et sur le temps que sa maison dura en prospérité », *et passim.*

2. Excipienda tamen sunt *Lotharingiæ Chronica,* quæ si, ut nonnulli censuerunt, Christiano Castinetensi adscribenda sunt, ex eodem, ut ita dicam, fonte quam *Nanceis* fluxerunt. In iis temporum ordo diligenter servatus et res ad historiæ fidem plerumque relatæ sunt. Simplici vero et candidæ narrationi jucunditatem quamdam inesse non negandum est.

Cf. *La Chronique de Lorraine,* ed. a *Marchal* (Nancy, Wiener, 1860), et Henri Lepage, *Commentaires sur la chronique de Lorraine au sujet de la guerre entre René II et Charles le Téméraire.* (Nancy, Wiener, 1859.)

3. Olivier de la Marche, *Mémoires,* l. VII, ch. 8, ed. Buchon : « et ainsi « perdit le duc de Bourgongne la troisième bataille, et fut en sa personne « rateint, tué et occis de coups de masse », etc.

4. *Ibid.:* « et je fus pris, la Mouche de Vère, Messire Anthoine d'Oiselet, « Jehan de Montfort et autres, et fusmes menés en la ville de Fou en Barrois; « et fut cette journée par un grand froid merveilleusement. »

5. Cf. *Chronique des ducs de Bourgogne.* Chronique de Jean Molinet (1827), t. I, p. 234, ed. Buchon : « C'estoit chose pitoyable à regarder, et de grande « admiration d'un tel prince, tant magnanime, tant riche et tant puissant, « estre ainsi humilié jusques en terre, et despouillé de tous vestemens, et « abandonné de toutes ses gardes, » sq.; *et passim.*

contra Carolum contentione condidit[1]. Hic elatum spiritum, narrandi alacritatem, vividam personarum effigiem miraberis. Cui historiæ si *Nanceidem* nostram contuleris, nimis metuo ne verboso et oratorio Petri poemati tenebras obducat hæc tam nitida et arguta rerum narratio.

Nec tamen ideo indigna existimanda est *Nanceis* in qua hoc a me, quantulumcumque est, operæ positum sit. De ea enim ut recte dijudicari possit, iterum dicam, ætatis respectus habendus est. Succurrat autem hoc tempore quo scriberet noster inter Gallicos poetas tantum floruisse Guillelmum *Cretin,* Joannem *Molinet, Meschinot,* et ne multos recenseam, Joannem *Lemaire des Belges,* certe iis præstantiorem, quorum cuilibet, Joanne *Lemaire* fortasse excepto, Petrum de Blaro Rivo latine scribentem prætulerim, aut, ut modice dicam, fortiter opposuerim.

1. *Louis XI et Charles le Téméraire* (Hachette).

INDEX

VIDI AC PERLEGI :
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. X Kal. mart. anni MDCCCLXXXXII
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi decanus,
A. HIMLY.

TYPIS MANDETUR :
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

Nanceii, ex typis Berger-Levrault et Sodalium.

